



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

a) $\frac{1039}{18 \frac{21}{2} 66}$



Národní knihovna ČR
Historické fondy

12K 154 / T. 1

Národní knihovna



1003289398

Digitized by Google

2

B.

IN

PR

Y

B. CHRISTOPH. FRID. SCHOTT,
PHILOSOPH. ET THEOLOGIAE DOCTORIS
IN ACADEMIA TUBINGENSI QVONDAM
PROFESSORIS THEOL. EXTRAORD. ET PHI-
LOSOPH. PRACT. ELOQVENTIAE AC POE-
SEOS ORDINARI ET C.

DISSERTATIONES
IVRIS NATVRALIS.

TOM. I.



COLLEGIT, RECENSUIT, PRAEFATVS EST

ET INDICEM ADIECIT

AVGVST. LVDOVIC. SCHOTT,

PHILOSOPH. ET I. V. D. SERENISS.
MARGGRAV. BRANDENBURG. ONOLZB. ET CULMB.
A CONSILIIIS AVLICIS, IN ACADEMIA FRIDE-
RICO - ALEXANDRINA PROFESSOR IVRIS
PVBL. ORD. FACVLTATIS IVRIDICAE ASSES-
SOR, ET REGII HISTORICI INSTIT.
GÖTTING. SODALIS.

ERLANGAE

APVD IOANNEM IACOBVM PALM

clō 10 cclxxxiv.

ILLVSTRI

IOANNI LVDOVICO

HVBERO

IVRIS DOCTORI

SERENISS. DVCI WIRTEMBERGIAE

A CONSILIIIS REGIMINIS

SOCERO SVO

OMNI PIETATE VENERANDO

CARAS HASCE

AMICI PATRIS

RELIQVIAS

SVMMO AFFECTV

CONSECRAT

AVGVSTVS LVDOVICVS SCHOTT.



LECT. SAL.

Exhibeo Tibi, benevole Lector,
B. Patris exercitationes acadē-
micas nonnullas, sparsim antehac Tu-
bingae editas et e cathedra publice
defensas, jam a me facta prius con-
grua selectione et revisione secun-
dum ordinem temporis, quo prodie-
runt, in unum corpus redactas.

Iam dudum, piis optimi Patris Manibus monumentum facturus haud indignum, animo meo conceperam consilium, collectionem talem publicae luci exponendi, existimans, me rem haud ingratam acturum esse. Maxime vero hoc meum propositum confirmarunt Viri quidam magni inter eruditos nominis, quorum auctoritas plurimum apud me valere debuit. Ex his prae aliis duos Viros illustres, Philosophos nostra aetate celeberrimos, IOANNEM FRIDERICVM BREYERVM, *Erlangensem*, Collegam mihi coniunctissimum, et AVGVSTVM FRIDERICVM BOEKIVM,

KIVM, *Tubingensem*, Patris in officio successorem meritissimum, honoris causa nominasse sufficiat.

Plures instituti mei ipsius, in adornanda hac collectione, rationes ob angustiam temporis instantibus nundinis Paschalibus jam dare nequeo; at operam dabo, ut huic etiam officio in singulari praefatione, Tomo huius collectionis secundo eique ultimo praemittenda, satisfaciam. Enarrabo quoque in hac vitam B. Patris, dignam sane, ut componatur; atque simul, usui Lectorum consulturus, indicem uberiolem adiiciam.

VIII

Interim vale, benevole Lector;
et his, uti reliquis meis conatibus,
favere perge.

Erlangae, ipsis Kal. Aprilis.
MDCCLXXXIV.

D. AVGVSTVS LVDOVICVS SCHOTT.



I. DIS-



I.

DISSERT.

*De eo, quod iustum est, circa Relaxationem
Iurisiurandi secundum Ius Naturae
consideratam.*

Tubingae. m. Apr. MDCCLIII.



§. I.

Cum ea sit apud plerosque animorum conditio, ut, rerum novarum cupidi, quidquid eo se nomine non commendat, fastidiant omne: feligendum sane nobis fuisse videtur argumentum, quod vel in ipsa fronte novi quid subesse declararet. Facile enim praevidemus, fore non paucos, qui hoc, quod tractandum suscepimus, tritum atque millies recitum judicent, cum innumerae prostent et Canonici et Civilis Juris Doctorum circa illud lucubrationes. Quamquam autem rem ita se habere non inficiamur: vix tamen credimus, qui meditationes has paulo

A

cura-



curatius expenderit, plagii literarii reos nos postulaturum esse quemquam, qui religioni nobis duceremus, aliorum scrinia ambitiosa fraude expilare. Multum enim a plurimorum, qui de relaxatione jurisjurandi scripserunt, sententiis et institutis nostrum abit consilium. Notum est, quid ii, qui Juris Canonici principiis innutriti omnia ad illius decempedam exigunt, hac in re sentiant. Cum autem factis constet, quantum hi homines omnia in suam rem vertere studuerint: non temere nec supra modum quis dixerit, si hanc doctrinam eos obscurasse magis, quam suae vindicasse luci pronunciaverit. Post repurgata sacra non defuerunt quidem Viri candidi et juris callentissimi, qui summo studio in id incubuerunt, ut squalor tenebricosis olim temporibus contractus disciplinis abstergeretur. Quo largior autem eorum seges erat, in quibus suae puritati restituendis desudabant: eo minus certe mirandum est, non pauca diu intacta mansisse, quae posterorum perspicaciam subterfugere nequiverunt. Id vero vel maxime in doctrina de jurejurando ejusque relaxatione ita evenisse oppido liquet. Ipse GROTIUS Juris Naturae restaurator, quin et conditor, a praeconceptis hac in re opinionibus penitus se liberare non potuit; quod autem Viro summo vitio vertere velle, vitio certe non careret.

Dis-



Discussit has nebulas PVFENDORFIVS, qui tamen, ut fieri solet, festinanter regrediendo in viam, fervore abreptus, ex altera parte ab ea paulo deflexit; quod suo infra loco uberius demonstrabimus. Egregiam vero et in repurganda hac doctrina suam collocarunt operam Juris Civilis et Canonici Doctores, nostris addicti sacris, qui catervatim errores eam instantes profligarunt, et tum ex Jure Civili, tum ex Legibus Imperii, in subsidium vocatis subinde Juris Naturae principiis, quid in foro de jurejurando ejusque relaxatione sit statuendum, multis hanc in rem iisque luculentis observationibus declararunt. Inter hos numeramus praecipue STRVVIVM, a) BOEHMERVM, b) STRYKIVM, c) KEMMERICHIVM, d) BAYERVM, e) MOSERVVM, f) aliosque,

A 2

Viros

a) *in diss. de relax. jurament. ad effectum agendi.*

b) *in Jure eccles. protest. L. II. Tit. XXIV. de jurejurando.*

c) *in meletem. de Juramentis, praesertim melet. III. C. II.*

d) *in diss. de potestate relax. iuram. in Imper. R. G.*

e) *in tractatu historico morali de origine et natura praesudiciorum in jurej. ejusque relaxat.*

f) *von der Relaxatione juramenti so wohl ad effectum agendi als auch überhaupt.*



Viros nominis claritate et eruditionis laude
 dudum celeberrimos. Quamvis autem et
 hi Viri, quod jam diximus, in excolenda
 hac doctrina subinde ad Juris Naturae
 principia recurrerint, quod praecipue
 B A Y E R O constitutum fuisse videtur,
 quem an recte inter JCtos retulerimus,
 dubii sumus: non tamen existimamus, su-
 perfluum fore nostrum laborem, quibus
 animus est, eam ex sinceris Juris Naturae
 principiis justo ordine deducendi. Quod
 peculiari instituto susceptum esse a quo-
 quam nobis quidem non constat. Persua-
 sum autem nobis est, Jus Naturae solum
 esse fontem, ex quo genuina doctrinae de
 jurejurando ejusque relaxatione funda-
 menta sint haurienda; quo ipso tamen di-
 vine sacrarum paginarum auctoritati neu-
 tiquam quid detractum volumus, quip-
 pe quae tantum abest, ut iis, quae ex
 hoc fonte derivaturi sumus, adversentur,
 ut potius, quod facile esset ostensu, ea
 omnia mirum in modum confirment. Dig-
 num sane judicavimus esse argumentum,
 quod omni cura investigaretur, cum re-
 verentia Divino Numini debita cuivis
 debeat esse prius, nihil antiquius. Quo
 magis autem reipublicae quoque interest,
 ut ardua et momentosissima de Juramen-
 tis doctrina majori luce collustretur: eo
 magis etiam speramus, a Viris probis
 atque



atque eruditus nostros hac in re haud improbatum iri conatus.

§. II.

Quid relaxationis jurisjurandi nomine nobis veniat, omnium primo indicandum esse arbitramur. Antequam vero expromamus, quam ipsi concepimus, ejus ideam: non abs re fore putamus, tum e Canonistis, tum e Jctis unum alterumve excitare, et quae ipsorum de ea mens fuerit, declarare. Licet enim remotissimi simus a pruritu, alienis nos immiscendi, et in Jctorum septa involandi: necessarium tamen nobis visum est, in argumento a Juris Naturae doctoribus nondum exulto, aliorum cogitata consulere, et, si licuerit, lucrifacere. Sufficiet e Canonistis unicum allegasse, R. P. VITVM PICHLERVM S. I., qui *relaxatio*, inquit, *si sumatur generice pro qualibet ablatione obligationis Juramenti, quadruplex est irritatio, remissio seu condonatio juramenti, relaxatio specificè sumta seu dispensatio, ac demum commutatio. Irritatio dicitur, quando ex mero beneplacito absque alia causa tollitur obligatio juramenti a superiore, qui habet potestatem dominativam vel in ipsam personam jurantem, vel in materiam*

A 3

g) in summa Jurispr. sacrae universae seu Jure Canon. L. II. Tit. XXIV. §. IV p. 345.



juratam. - - *Remissio vocatur, quando is, in cuius utilitatem vel commodum iurasti, obligationem sponte remittit, seu condonat; postquam enim is tibi remisit obligationem ex promissione ortam, hoc ipso cessat obligatio iuramenti propria, tanquam accessoria, sublata principali; cum nec DEUS velit invitis obtrudi favores. Remittere autem potest omnis et solus ille, cui iuratum est. Relaxatio specificè accepta nihil aliud est, quam dispensatio in iuramento, de qua inferius. Denique commutatio contingit, quando mutatur materia iuramenti, seu ab una materia in aliam transfertur obligatio. Quid vero per relaxationem specificè acceptam seu dispensationem intelligat, ita declarat,*

b) Furamentum promissorium, vel soli DEO factum, vel homini quidem, cui tamen per illud non est jus acquisitum, relaxare potest Papa et plerumque etiam Episcopus &c. pro foro interno sed neuter sine justa causa; cum postmodum vocem relaxare explicet sequentibus: intelligendo relaxationem specificè acceptam, seu dispensare in iuramento. Satis prolixè haec Canonistarum mentem demonstrant. Audiamus jam, quae JCTORUM sit sententia. STRVVIVS autem, cum quo alii Doctores communiter consentiunt, quae STRYCKII licet dissentientis verba sunt, i) hanc relaxationis iuramentorum format definitionem, quod sit potestas majestati competens,

vi

b) l. c. p. 347.

i) l. c. p. 164.



vi cuius summus princeps, vel cui hoc committit, aliquem a juramento inique extorto liberare, atque obligationem inde profectam tollere potest, ut impetrans conscientiam suam salvare, sine perjurii metu agere et jus suum prosequi possit: quam I. H. BOEHMERVS k) ex duplici capite carpit. Jungamus huic KEMMERICHIVM, qui l. c. p. 8. ait: Ante omnia vero hic praemonendum, relaxationem a juramento, quae nonnunquam et absolutio, nonnunquam dispensatio, nonnunquam remissio, audit, non uno sensu accipi posse. Vel enim denotare potest absolutionem a peccato, quod vel temerarie jurando, vel pejerando commissum est, cum remissione poenae hoc ipso promeritae, vel absolutionem ab obligatione juramenti, quae iterum duplici sensu intelligi potest, vel ut obligatio juramenti antea valida per eam tollatur; vel ut tantum declaretur, juramentum fuisse invalidum, atque adeo nullam exinde obligationem ortam; priorem nonnulli propriam, posteriorem impropriam vocant. Quam ultimam relaxationis speciem, si per sententiam iudicis fiat, eo fine, ut parti laesae jus suum agendi vel exceptionis beneficio se tuendi integrum salvumque maneat, idem l. c. p. 29. relaxationem ad effectum agendi nuncupari affirmat; circa quam variae inter Jctos motae sunt quaestiones, an Principi quati, an qua Episcopo supremo, an soli

A 4

maje-

k) l. c. p. 1298.



majestati, an vero judici cuilibet ordinario jus hoc competat? De quibus praeter KEMMERICHIVM, BOEHMERVM, COCCEIVM, erudite et judiciose etiam egit SCHOEPPFIVS. 1)

§. III.

Quibus praemissis exponendum jam erit, in quo genuina relaxationis jurisjurandi notio nostra sententia consistat. Est vero nobis *relaxatio jurisjurandi* nihil aliud, quam *sublatio obligationis ex jurejurando ortae, antequam re praestita per se cesset, facta*. Ex quo satis apparet, egregie nobis convenire cum iis, quae in superioribus hac de re ex aliorum mente allegavimus, qui licet in caeteris a se invicem diversi, in hoc ipso tamen amice conspirant. Quod autem ad varias relaxationis species, tum supra exhibitas, tum vulgo occurrentes, adinet, siquidem eas cum hac notione contulerimus, facile patebit, eas aut falso ad eam referri, aut sine ratione ab ea distingui. Quae idearum confusio cum non mediocriter hanc doctrinam obscurat, quod evenire necesse est, notionum discriminebus non recte perpensis: non possumus non aliqua, huc facientia, sed pro instituti ratione paucis, proferre in medium

1) in *Collect. nov. Consil. Jurid. Tub. Vol. VIII. Cons. LV. Nro. 40. Et 41. p. 408.*



dium. Eundem vero est in rem praesentem. *Irritari* vel *annullari* dicitur jusjurandum ab eo, qui vel potestate in personam jurantis, vel dominio in rem juratam gaudet, ita ut ex mero beneplacito absque ulla alia causa facere id possit. Cum vero certum sit, neminem se obligare posse in praesudicium tertii, cui dominium vel in actiones jurantis vel in rem juratam competit, nisi is consenserit: facile liquet, per irritationem non tam relaxari juramentum, quam potius nullum id esse declarari. Ad quod illustrandum apprime faciunt, quae lege divina Num. XXX. de votis constituta sunt. Cum enim eorum, qui sub aliena sunt potestate, vota, quibus DEO aliquid jurejurando promittitur, nisi parentis, mariti, heri consensus vel expressus vel tacitus accesserit, nulla esse pronunciantur: multo magis, a majori ad minus argumentando, in negotiis humanis jurejurando firmatis rem ita sese habere certum est. De *remissione* id tantum monemus, aut prorsus nullam dari relaxationem, aut eandem cum hac esse illam, prout ex sequentibus elucebit, atque ideo praeter necessitatem hac distinctione res multiplicari. *Commutationem* quod concernit, qua mutuo utrinque consensu, subsistente obligatione ex jurejurando profecta, rei juratae altera substituitur, quis, quaeso, relaxationem

A

juris-



jurisjurandi eam dixerit? Quae Canonistis *specificè accepta relaxatio* audit seu *dispensatio*, tum juramenta cum votis DEO juratis confundit, tum falsosupponit, licite jurata a potestate ecclesiastica posse rescindi. Ad illicitas enim res, quae nec obligationem gignere queunt, nec relaxatio poterit applicari. Quae vero de his disputari possent, Theologorum foro relinquimus. Conferi hic omnino meretur I A E G E R I *Tractatus moralis de Juramentis. m)*

§. IV.

Tradita jam eaque illustrata relaxationis jurisjurandi definitione, progrediendum nobis est ulterius, atque quid justum sit circa eandem secundum genuina Juris Naturae principia demonstrandum. Quum vero Juris Naturae ea sit indoles, ut ex solo rectae rationis dictamine nobis innotescat, et eorum, quae adstruit, rationes a causa, natura, fine et harmonia actionum suscipiendarum et ipsorum agentium repetat, quemadmodum et post fata Celeberr. CANZIVS n) legis naturalis notionem evolvit: facile apparet, a legibus hominum positivis nobis abstinendum, omniaque ex rei ipsius natura esse derivan-

m) *Art. V. Qu. 1. p. 269. sq.*

n) *in Discipl. Moral. §. 81.*



rivanda. Quod quo pacto fieri possit aliter, nisi rimando et explicando conceptus, qui relaxationis jurisjurandi definitionem intrant et constituunt, prorsus non concipimus. Vt igitur omnia dilucide tractentur, atque inde legitimae deduci possint consecutiones: prae omnibus id nobis agendum videtur, ut veras et jurisjurandi et obligationis notiones exhibeamus, quibus tamquam firmissimo fundamento totum aedificium possit superstrui.

§. V.

Jusjurandum nobis est *deliberata, Numinis divini tamquam testis ac vindicis invocatio in assertionis aut promissionis confirmationem.* Consulto nostram fecimus hanc definitionem, communibus principiis maxime conformem, quam dedit facundissimus ROESLERVS. o) Suppeditavit nobis aliam PFAEFFIVS, p) sequentem in modum suam declarans mentem: *Hinc III. existimem, si definitionem juramenti striete sic dicti ex sacris pascas, plenam illam hanc esse, quod sit asseveratio vel asserti, vel promissi, quam vere quis DEum credat vivere vel existere. Hoc nisi esset, formula juramenti in sacris quam maxime celebrata esset manca, quod dicitur*

o) in *diff. de Jurejurando de re illicita p. 3.*

p) in *diff. de vera Juramentorum notione e sacris pandectis depromenda C. II. p. 5.*



quit. Neque vero ulla ratione ambigimus, licet tenui nostro suffragio non indigeat, primas dare huic definitioni, tum, quod qui vitam et existentiam DEI confitetur, idem et omniscientiam et omnipotentiam et justitiam ejus asserit, tum, quod a terribili, quam caeterae prae se ferunt, execratione abstinet, tum, quae praecipua ipsius est virtus, quod sacris litteris est consentanea. Quae cum ita sint, quaeri ex nobis posset: cur aliam potius fundamenti loco posuerimus, quae de hujus praestantia convicti simus? Verum, ut fateamur, quod res est; dandum aliquid esse putavimus eorum imbecillitati, qui quicquid ex notione jurisjurandi elicere constituimus, id omne peculiari huic definitioni acceptum esse ferendum, et cum nova nec dum recepta ea sit, omnia vacillare fuissent judicaturi. Quam ut amoveremus suspicionem, consultius esse duximus, definitionem substernere, quae nec a communi doctrina recederet, nec incusari novitatis posset. Quo ipso et id lucratos nos esse confidimus, ut ab ejus vindicatione abstinere possimus, praesertim cum ferias nobis hac in re fecerit.

HARPPRECHTVS. q)

q) in diff. de Jurejurando scriptura praestito, §. 5. & 7., quae amplae eruditionis amatoribus nihil desiderandum relinquit.

§. VI.



§. VI.

Priusquam vero ad ea, quae de obligatione dicenda sunt, aditus nobis pateat, paucis etiam inquirendum erit in nonnulla, quae et affectiones et divisiones jurisjurandi concernunt. Non immorabimur Scholasticorum subtilitatibus, qui tres jurisjurandi comites, veritatem, justitiam et iudicium requirunt, quas jurisjurandi affectiones ex Jerem. IV. 2. colligit pontifex Innocentius III; c. 26. x. *de jurejur.* Quamvis enim dici non possit, inania haec esse, et omni fundamento destituta: tamen id certum est, ipsam jurisjurandi definitionem haec omnia comprehendere, et satis distincte declarare. Quum enim in confirmationem veritatis vel asserti vel promissi fiat; quum invocatione divini Numinis perficiatur; quum deliberato animo suscipiendum sit: qui, quaeso, fieri poterit, ut et veritas, et justitia seu honestas actionis et iudicium a jurejurando absint? Id ipsum vero demonstrat essentialia has esse jurisjurandi affectiones. Quod ad classes adinet, in quas juramenta dispesci solent, brevibus pariter nos expediemus. Dividuntur autem in spiritualia et temporalia, in judicialia et extrajudicialia, in simplicia et solemnia, in absoluta et conditionata, in assertoria et promissoria, quibus adduntur et comminatoria; e qui-



e quibus posteriorum duntaxat duarum classium pro nostro instituto aliquam habebimus rationem. Ex definitione jurisjurandi liquet, fieri id in assertionis aut promissionis confirmationem; est ergo vel assertorium, *quo veritatem dicturos*, vel promissorium, *quo praestituros vel omissores nos esse aliquid, fidem adstringimus*. Habent hae jurisjurandi species, in quo conveniunt; habent vero et, in quibus ipsa re a se invicem differunt. Inest nimirum et assertorio quaedam promissio; inest vero et promissorio quaedam assertio. In assertorio promittimus simulque praestamus veritatis declarationem: in promissorio asserimus praestandorum fidem. Atmutua haec earum convenientia non tollit earundem differentiam. Deprehendimus enim in juramenti assertoriiis, fieri illa de re vel praesenti vel praeterita, et nuda veritatis testificatione absolvi; cum contra, quae promissoria audiunt, ad res futuras se extendant, et praeter veritatis testimonium de sinceritate voluntatis nostrae in promittendo, cum proposito implendi, ipsam promissi impletionem simul comprehendant. Quum vero non promissorio tantum sed et assertorio jurijurando insit promissum: de hoc etiam aliquid addendum esset, nisi ejus indoles ex definitione juramenti promissorii satis perspiceretur, quae docet, promissum esse sermonem, quo aliquid pra-



praestare vel omittere nos velle affirmamus. Qui in alterius promissum consentit, acceptare illud dicitur; promissum vero acceptatum pacti nomine venit; quod si alter aliquid repromittit, bilaterale, sin minus vero, unilaterale audit.

§. VII.

Diximus juramenta dividi etiam solere in absoluta et conditionata. Manifestum autem est, hanc juramentorum divisionem ad promissoria maxime pertinere, cum in assertoriis de veritate dicenda fidem adstringamus, quibus, qui conditio inesse possit, nos quidem non videmus. Ea vero est promissorum natura, ut vel absoluta sint, vel conditionata; quibus confirmandis cum juramenta accedant, ut eundem habitum induant necesse est. Absolutum dicitur jusjurandum, quando effectus ejus a nullo eventu incerto eoque ex arbitrio determinato suspenditur. Quod si vero factum id fuerit, conditionatum audit. Plana quidem haec sunt, atque expedita; nec tamen negligi a nobis poterant. Quaestio enim sese nobis heic offert, cui magnum inesse momentum nemo inficiabitur, qui curatius rem animo pensitaverit. Dubitatur nimirum: an detur jusjurandum veri nominis absolutum? Et jure quidem non dubitatur tantum de hac quaestio-



stione, sed recte et illa negatur, si jusjurandum in hac ad conditionatum oppositione eo significato absolutum dicatur, ut omnes conditiones, utut necessario subintelligendas, penitus respuat atque excludat. Omni enim jurijurando conditiones ex ipsa rei natura fluentes, licet non expressae sint, implicite tamen inesse debere, vel ex eo liquet, quod innumera, si aliter res sese haberet, absurda inde essent consecutura. Sic, qui operas suas alteri jurato addixisset, ab hostibus captus, et suis stare promissis praepeditus, perjurus esset censendus. Sic, qui alteri obsequium juravisset, ad quaevis ejus mandata, etiam divinis legibus contraria, prompte exequenda adstringeretur. Imo sic religiosa jurisjurandi fides in turpissimum iniquitatis vinculum degeneraret. Neque vero eapropter omne discrimen inter jusjurandum absolutum et conditionatum sub hac restrictione sublatum, nec haec divisio inanis censenda est. Diximus enim tum demum juramentum esse conditionatum, cum effectus ejus ab eventu incerto eoque ex arbitrio determinato suspenditur; quod longe aliter se habet in juramentis absolutis, quibus pure aliquid promittitur, ita tamen, ut conditionibus per rem ipsam necessariis, adeoque neutiquam arbitrariis, locus sit, a quibus effectus jurisjurandi pendet. Quae vero sint



sint istae conditiones in quovis juramento etiam in absoluto tacite subintelligendae, non facile quis definierit, cum pro diversitate rei juratae et ipsae diversissimae esse possint. Iis tamen, praecipue quod generales adtinet, enumerandis dedit aliquam operam, quem jam allegavimus, I A E G E R V S, r) quarum quatuor recenset: si DEO placuerit; si licite potuero nisi superior aliud disposuerit; nisi res notabiliter fuerint mutatae; quibus deinde speciales quasdam adjungit. Quod ad ultimam hanc conditionem generalem omnibus juramentis tacite adhaerentem adtinet: *nisi res notabiliter fuerint mutatae*, id tantum notamus, illam vulgo etiam dici: *clausulam rebus sic stantibus*, de qua conferri merentur COCCEIVS s) VON DER MEVLENT) et KIPPINGIVS, u) qui communem sententiam refutat, confutatus et ipse a KOPPIO. x)

§. VIII.

Ne vero iis patrocinari videamur, qui, nequissimo reservationum, quas vocant, men-

r) in *Tr. mor. de Joram. Art. IV. Qu. IV. p. 241.*

f) in *diss. de clausula rebus sic stantibus.*

t) in *diss. de exceptione status rei mutati p. 6.*

u) in *diatriba de tacita clausula rebus sic stantibus ad publicas conventiones non pertinentes.*

x) in *diss. de Clausula rebus sic stantibus secundum Jus cum naturale tum civile.*

B



mentalium invento, omnem fidem labe-
 factare, ipsamque jurisjurandi religionem
 improbissimis cavillationibus eludere, at-
 que adeo universo scelerum agmini latis-
 simam portam aperire non sunt veriti,
 praemunienda sunt, quae diximus de con-
 ditionibus in quovis jurejurando et im-
 plicite obviis, quo minus in sinistram ra-
 piantur partem, et nefando huic doctrinae
 monstro robur aliquod addere videantur.
 Non excitabimus hic Toletos, Tamburi-
 nos, Raynaudos, Caramueles, Layman-
 nos, Sanchezios, Suarezios, et quot non
 alios? nec nostra fert instituti ratio, ut
 data opera infucatis eorum ratiociniis lar-
 vam detrahamus; quod cum ab aliis et
 serio et falso scribendi genere factum jam
 fit, nec nostram hoc in argumento ulte-
 rius excutiendo operam desideratum iri
 confidimus. At vero omnia sicco pede prae-
 terire non possumus. Indicanda enim sunt
 ea, quae luculenter demonstrant, ex iis,
 quae in antecedentibus diximus, pestifero
 huic errori nullum omnino quaeri posse
 patrocinium. Restrictionibus in mente re-
 tentis, aut ambiguae dictionis fallaciis in
 jurejurando locum qui concedunt, utro-
 que in casu eum, cui juratur, absque per-
 jurii crimine deludi posse existimant, hinc
 tacitis additamentis jurisjurandi vim ener-
 vando, illinc vero alio quam iste sensu
 illud accipiendo. Neutro autem casu id
 eve-



evenire, quod de conditionibus omne jusjurandum necessario comitantibus supra asseruimus, vel obiter rem consideranti per se patere arbitramur. Posset tamen ex eo, forte cui dubium oriri, quod restrictio ejusmodi in mente retenta in conditione quadam tacite adjecta consistere possit, si v. g. quis juraverit, se aliquam uxorem ducturum, intelligendo, si postea placuerit. Verum et sic omnia sunt in vado. Disertis enim verbis diximus, eas conditiones jurijurando tacite adjectas praesumi, quae ex ipsa rei natura fluunt, et quarum eapropter ea est ratio, ut ab iis, quibus juratur, non minus quam ab ipsis jurantibus sub eo comprehensae intelligantur. Quae quantum a conditionibus differant, per mentales reservationes jurijurando dolose adjunctis, nemo non perspicit; quippe quae nullum in re ipsa fundamentum habent, et tantum abest, ut ab iis, quibus juratur, inesse juramento praesumantur, ut ii potius, si latentes insidias resciscerent, omnem ei fidem essent denegaturi. Quantum igitur a mendacio veritas distat: tantum haec a se invicem differre merito pronunciamus.

IAEGERVVS l. c. p. 343. et LA PLACETTE y) quorum uterque scitum illud Isidori

B 2

Hif-

y) in elegantissimo tractatu de jurejurando, gallico sermone conscripto, *Traité du Serment. Livr. I. Chap. IX. X. p. 71.*



Hispalensis ex Jure Canonico perquam commode pessimae hujus doctrinae patronis obvertit: *Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit*, Can. 9. Cauf. 22. Qu. 5. seu Isidor. sententiam L. 2. c. 31.

§. IX.

Accedimus jam ad obligationis ideam, quam pariter a nobis investigandam esse declaravimus. Est autem obligatio *qualitas moralis, per quam quis praestare aut omittere vel pati quid necessitate morali tenetur*. Sic PUFENDORFIVS 2) eam definit, cum quo CANZIVS l. c. §. 42. optime conspirat, qui eam necessitatem moralem ad aliquid agendum libere vel patiendum, nominat. Neque vero, quam WOLFIVS dedit, obligationis definitio, quod nimirum sit motivi cum actione connexio, ab his abludit. Morali enim necessitate ad actionem aliquam suscipiendam mens humana adstringitur per repraesentationem boni vel mali ex ejus commissione vel omissione oriundi, quae cum motivum dicitur, ut ipsa obligatio in connexione motivi cum actione consistat, necesse est. Eadem vero est etiam JCTORUM sententia, qui

2) in *Jure Nat. et Gent. L. I. C. I. §. XXI. et C. VI. §. V.*



qui obligationem vocarunt vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei praestandae; quae definitio, licet translato verborum significato utatur, re ipsa tamen idem cum praecedentibus dicit. Solida sunt, quae WÜRFFEL a) de hac definitione monet. Atque haec quidem omnia satis demonstrant, firmam esse, quam dedimus obligationis notionem, cum et sua ipsius se claritate commendet, et constanti quorumvis consensu nitatur. Superest, ut ex his eliciamus conclusionem iis, quae postea dicturi sumus, maxime inservituram. Quum scilicet necessitas moralis ex repraesentatione boni vel mali cum actione connexi oriatur: oppido patet, pro diversitate hujus boni vel mali ipsam etiam necessitatem moralem seu obligationem vel majorem fore vel minorem; cumque plura motiva in eodem actu concurrere possint, plures quoque obligationes ad idem posse enasci. Et haec quidem pro scopo, quem nobis fiximus, annotasse sufficiat; licet foecundissima haec obligationis notio pluribus iisque utilissimis scaturiat consectariis, quae qui nosse avet, eum ablegamus ad KOEHLERVM b)

B 3

§. X.

a) in *Jurisprud. civ. defn.* §. DCXCVI.
pag. 353.

b) *Exercitat. Jur. natur.* §. 302. p. 79.



§. X.

Quae hactenus de jurejurando et de obligatione singulatim diximus: illa jam sollicite invicem sunt conferenda, cum per relaxationem obligatio tollatur ea, quae ex jurejurando enata est. Atque heic statim in principio sese nobis offert quaestio: an ex jurejurando peculiaris obligatio exoritur? Nota est controversia a non paucis PUFENDORFIO mota, qui negare hanc quaestionem non dubitavit, et juramenta in se non producere novam et peculiarem obligationem, sed obligationi in se validae velut accessorium quoddam vinculum supervenire, disertis verbis asserit. *c)* Cum multa inde pendeant, quae in doctrina de jurisjurandi relaxatione maximum omnino momentum habent: non possumus non hanc controversiam sub examen vocare, et libratis utrinque rationibus, quae pars magis ad veritatem accedat, significare. Dabimus operam, ut omnia succincte exponantur; et licet pleraque aliorum perspicaciae debeantur, spicilegio tamen adhuc locum fore speramus. Praemittenda autem esse videtur observatio, passim neglecta, cujus certe in omnibus controversiis recte examinandis non exiguus

c) Vid. *Tr. de Offic. Hom. et Civ. L. I. C. XI. § 6. coll. ejus Jur. Nat. et Gent. L. IV. C. II. § 6.*



guus est usus. Inquirendum nimirum praeter rationes, quibus sententia aliqua confirmatur, etiam est in occasionem, qua quis allectus ad eam amplectendam pronior factus est. Quamquam vero saepe difficile est eam detegere, et conjecturis plerumque nimis tribuitur: in praesenti tamen controversia, si, quid P V F E N D O R F I V M in hanc sententiam traxerit, quaeratur, absque errandi formidine pronunciamus, eum Juris Canonici principio, cui et G R O T I V S subscripserat, d) sese opposuisse, quod in quovis jurejurando aliquid DEO promitti, ipsique ex eo jus quaeri affirmat. Cum igitur animadvertisset, duplicem communiter jurijurando adscribi obligationem, alteram adversus eum, cui juratur, ex promisso, alteram erga DEum, per quem juratur, ex jurejurando, neque vero quicquam ejus ex jurisjurandi notione fluere deprehenderet, et potius plurima hinc incommoda enasci cerneret: permovit id eum, ut contrariam huic thesin stabiliret, atque nullam ex jurejurando obligationem oriri statueret. Quod cum absque ulla limitatione asseruerit: mirum non est, multos eosque eruditos viros, curatius rem pensitantes, ab ipso dissensisse, qui probe intellexerunt, jusjurandum, promisso additum, obligationi ex promisso

B 4

ortae

d) *De Jur. Bel. et Pac. L. II. C. XIII.*

§. 14.



ortae novam quoque obligationem superaddere; ex qua vero ei potius, in cujus gratiam promissum aliquod jurejurando firmatum est, quam ipsi DEO, per quem juratur, jus esse quaesitum lubentes concedunt. Quibus ita sese habentibus, facile apparet, P V F E N D O R F I V M non tam, ut scholarum terminis utamur, intuitu subjecti jurantis, quam respectu objectorum personalium negasse, peculiarem ex jurejurando obligationem exoriri; in quo et suos sibi adversarios habet consentientes. Interim non negamus, eum hac in re. utut secundum verba magis quam ex mente, paulo deflexisse a via, quod superius jam diximus; nulli caeteroquim dubitantes, ipsum de hoc admonitum suam sententiam debita limitatione fuisse restricturum. Et haec quidem nobis huic controversiae lucem aliquam affundere, statumque ejus non mediocriter immutare visa sunt; quibus an viri docti suos adjecturi sint calculos, modeste expectamus.

§. XI.

Verum, ut redeamus in viam, ipsa haec controversia paucis est exponenda, et rationes indicandae, quibus utrinque decertatum est, quo ipso nostra de hac re cogitata egregie simul confirmabuntur. P V F E N D O R F I I sententiam supra jam ipsius



ipfiusmet verbis attulimus. Quod vero ad rationes adtinēt, quibus eam adstruxit, huc potiffimum redeunt: *Omne iuramentum eſſe acceſſorium vinculum, ſupponere enim ſemper promiſſum, atque hinc ſupponere etiam obligationem antecedentem; quodſi enim licitum foret non præſtare id quod ſupponitur, ineptum fore, divinam in ſe poenam provocare.* Qui ab hac Viri ſummi ſententia diſceſſerunt, eos data opera recensere omnes nec opus eſt, nec noſtra fert inſtituti ratio. Sufficiet duos allegaſſe, qui nobis domeſtici fuerunt, Viros et eruditionis laude et iudicii acumine etiam poſt fata celeberrimos, ROESLERVM et CANZIVM, quorum hic obiter, iſte vero magis ex inſtituto PVFENDORFII ſententiam confutavit. Et CANZIVS quidem, poſtquam demonſtraſſet, in iurejurando utique ad promiſſionem novam accedere obligationem, ad ejus rationes reſpondet: *Poſſe omnino juſjurandum accedere promiſſo, cui nulla ineſt obligatio, cum ſimplici mentis deſtinationi poſſit adjici, nec ſequi, eam actionem, ad quam non obligamur, peccaminofam eſſe debere, cum ex eorum genere eſſe poſſit, quae nec prohibita nec praecepta ſunt.* e) Vberius hac de re differit ROESLERVS f) qui huic

B 5

Pufen-

e) vid. *Disc. Mor.* §. 328. 329.f) in *diff. de iurejurando de re illicita exemplis S. Scripturae illustrato* §. 3. edit. 1712.



Pufendorfianae hypothefi opponit: 1) in promiffione jurata duplex adefse fundamentum obligationis, duas nimirum diverfas leges naturales, quarum altera fidem datam fervare, altera nomen DEI reverenter habere nec in vanum ducere jubet, hinc et duplicem inde oriri debere obligationem, 2) dari juramenta comminatoria et fimplici deftinationi adjecta, in quibus nulla alia obligatio concipi poffit, et proinde juramentum peculiarem ex fe et fua natura producere debere obligationem, 3) ipfum Pufendorfum appellare juramentum vinculum accessorium, per quod fi, prout par eft, intelligatur obligatio accessoria, eo ipfo fuam juramento tribui obligationem, 4) Fictos fateri, actus quofdam invalidos accedente juramento convalefcere, atque ita fupponere, juramentum naturaliter producere obligationem fibi propriam. Regelfit quidem ad haec nonnulla TREVERVS, g) quae vero cum parum roboris habeant, & ad ea folide refponfum fit ab ipfo ROESLERO h) pluribus hic recitare fupfedemus. Quae cum ita fint, oppido miramur, AYRERVM de hac Roeslerum inter atque Treuerum controverfia fententiam tuliffe noftrae e diametro adver-

g) in annot. ad Puf. L. de O. H. & C. p. 242.

h) in differtatione, quam Vindicias obligationis jurijurando propriae infcripfit, A. 1723. edita.

versantem, qui i) *Agitata*, inquit, quoque fuit haec controversia inter Ill. Treuerum nostrum et Roeslerum Prof. Tubing. quorum ille in notis ad Pufendorfium negat novam per jursjurandum induci obligationem, hic vero in peculiari dissertatione adversam tuetur sententiam, sed tam infelici successu, ut uter patronus causa ceciderit, argumenta utrimque prolata statim ostendant. Equidem consideratis remoto omni partium studio argumentis utrimque prolatis non potui non, quod supra dedi, judicium ferre, et pace Viri celeberrimi licebit minimum publice testari, esse, qui aliter sentiat. Auctoritati ipsius rationes opposuissimus, nisi id a praesenti instituto nimis esset alienum. Jam vero ut ad id accedamus, cujus gratia haec haecenus diximus, liquere jam putamus, contra ac PUFENDORFIUS sensit, omni juramento peculiarem inesse obligationem, esse autem illam, consentientibus omnibus, obligationem accessoriam; nec DEO aliquid jurejurando promitti, cum obligatio ex eo orta non in DEUM, sed in actionem promissam, dirigatur, et reverentiam divini nominis tantum pro fundamento habeat. Quod posterius testimonio etiam ROESLERI firmabimus, qui l. c. cum dixisset, persuasum sibi esse, jursjurandum

ex

i) in *Specimine Jurispr. consultat. de Abusu juramentorum e republ. proscribendo § IV. not. k. p. 28.*



ex se novam et peculiarem producere obligationem, addit: *Non quidem ex ea ratione, quam nonnullis placere video, quasi in juramento Deo aliquid promitteretur. Nam id quidem certum est, in juramento DEum testem adhiberi, testi autem promissionis qua tali nihil promittitur. Adde, quod juramentum a voto vix posset distingui, si in utroque aequè aliquid DEO promitteretur. Atque haec omnia principiis, quae §. IX. adstruximus, apte sunt consentanea.*

§. XII.

Jam vero aditum nobis patere putamus ad conclusiones ex haecenus dictis facili negotio deducendas, quibus, quid justum sit circa jurisjurandi relaxationem, secundum Juris Naturae principia, potest determinari. Diximus e praecipuis jurisjurandi divisionibus esse eam, qua in assertoria et promissoria dispescuntur. Quod si igitur quaeratur, an et quibus in casibus juramenta assertoria possint relaxari? facilis est responsio, nullam omnino eorundem dari relaxationem. Cum enim de veritate dicenda fidem iis nostram adstringamus: manifestum est, obligationem eodem actu, cui jusjurandum accedit, simul et oriri et finiri. Cum primum quis namque testimonio defunctus est, quod ex veritate se redditurum, adjecto jurejurando,



rando, promisit; nulla amplius superesse dici potest obligatio. Aut enim sancte promissis stetit, tum vero obligatio est impleta et proinde etiam extincta; aut contra ac fidem juratam dederat sciens fefellit, tum neque si is, cui fidem adstrinxerat, liberare ipsum voluerit, a perjurii crimine poterit absolvi. Objiciet forte aliquis, posse tamen juramenta assertoria remitti, id quod eveniat etiam frequentissime, cum quis declarat, se, licet jus ipsi competat deferendi jusjurandum, nudae tamen alterius assertioni fidem esse habiturum. Et recte quidem haec ita dicuntur, neutiquam vero nos tangunt. Quis enim ejusmodi remissionem jurisjurandi relaxationem dixerit, nisi vocabulis ludendo? Nimirum ubi nullum adest jusjurandum; ibi nec adesse potest obligatio ex jurejurando orta; si vero haec deficit, nec tolli poterit, nec proinde relaxatio habere locum. Majoris momenti videtur, quod obverti nobis potest, posse scilicet ejusmodi juramenta, licet iam praestita, tamen iterum remitti, antequam testimonium, in cuius gratiam facta sunt, perhibeatur, ita, ut vel id ipsum simul remittatur, vel declaretur, testimonium adhuc perhibendum pro non jurato habitum iri. Verum enim vero belle quidem haec sunt excogitata; sed vix ac ne vix quidem credimus hujusmodi



modi casus extra fingentis cerebrum existere unquam. Ponamus autem dari, ut largi simus; tamen, ut a sententia recedamus, neutiquam permovemur. Ut enim ad prius primo respondeamus, ex notione jurisjurandi assertorii patere putamus, neminem eo de testimonio ferendo, sed de veritate in testimonio ferendo dicenda, fidem adstringere; ex quo conficitur, tum demum obligationem ex jurejurando obtinere, cum testimonium ipso actu est perhibendum. Quodsi vero illud remitti ponitur, nec adesse potest obligatio, quae tolli debeat. Quod ad posterius adtinet, cum quivis nullo jurisjurandi vinculo constrictus veritatem profiteri teneatur, qui ab obligatione ex jurejurando accedente salva hac liberari possit, subtilioribus ingeniis disquirendum relinquimus, ut nihil dicamus, implicare, si is, cujus interest, ut veritas declaretur, ad fallendum occasionem praeberetur statuat.

§. XIII.

Quum jurisjurandi promissorii longe alia sit ratio, atque obligatio hinc oriunda non uno eodemque actu absolvatur: longe aliter de eo quoque erit pronuntiandum. Et quod absolutum quidem concernit, obli-



obligatio, dum juratur, incipit, atque tam diu subsistit, donec ipsa promissi praestatione iterum extingatur. In conditionato tum demum obligatio oritur, quando quae jurijurando adjecta est, conditio existit, at pariter eousque perdurat, dum omnia ex asse fuerint impleta. Ex quo facile colligitur, in eo temporis intervallo, quo ad ipsam usque rei praestationem subsistit obligatio, eandem quoque iterum posse tolli. Quod qui fieri possit, et a quibus, de eo quidem nobis potissimum est dispiciendum. Eximia est Juris Romani regula, L. 35. D. de reg. Jur. ubi Vlpianus ad Sabinum: *Nibil tam naturale est, inquit, quam eo genere quidve dissolvere, quo colligatum est; quae cum generalis atque verissima sit, ad hanc etiam investigationem viam nobis sternit.* Patet autem tum ex iis, quae diximus superius, tum ex ipsa jurisjurandi definitione, §. V. accedere illud vel ad assertum vel ad promissum, confirmandi ejus et corroborandi causa. Licet igitur ex jurejurando nova exoriatur obligatio, ipsa tamen per naturam jurisjurandi non potest non esse tantum accessoria; et cum accessorium sequatur principale, ut cum obligatione, ad quam accedit, consistat, atque ea sublata simul etiam tollatur, necesse est. Quod si ergo demonstramus, qua ratione quaevis ex promisso oriunda obligatio tollatur: quo-



quomodo, quae ex jurejurando enascitur, obligatio auferri possit, simul etiam demonstrasse nos palam est. Neque vero id multum habet difficultatis. Cum enim omnis obligatio ex promisso tum demum oritur, quando is, cui promittitur, in idem consentit, quod acceptare dicitur; atque nihil tam naturale sit, quam quidve eo genere dissolvi, quo colligatum est: oppido liquet, obligationem ex consensu ortam dissensu iterum tolli. Si auctoritatibus magis quam rationibus haec decidenda essent, possemus provocare *ad §. 4. Inst. Quib. Mod. toll. Obl. quae disertis verbis dicit: eae obligationes, quae consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur.* Verum res ipsa loquitur. Omnis obligatio, quam promissa gignunt, ex consensu oritur et jus parit ei, cui promittitur. Jus enim nihil aliud est, quam facultas exigendi id, ad quod alter obligatur. Relata igitur sunt jus et obligatio. Cum autem dubitari nequeat, quemlibet suo juri posse renunciare: manifestum quoque est, ejusmodi juris renunciatione, ipsam etiam obligationem iterum auferri. Ea enim est relatorum indoles, ut sublato uno alterum quoque tollatur; quod notissimo canone logico docemur. Ex haecenus dictis igitur apparet, qui tolli possit obligatio ex promisso profecta; a quibus vero id fieri possit, facile jam poterit determinari. Et du-



dubium quidem nullum superest, eum posse obligationem tollere, qui ius sibi ex promisso acquisivit. Cum enim quivis de iure suo possit desistere, nemo autem alteri invito, quod promisit, obtrudere tenetur; illud si accidat, ut omnis promissi vis evanescat, oportet. Quis vero praeter eum, cui ius ex promisso quaesitum est, obligationem eius tollere possit, mox indicabimus. Concludimus heic tantum secundum ea, quae supra evicimus, quemlibet, qui ius ex promisso sibi competens remittit, si iureiurando illud confirmatum fuerit, simul etiam ipsum iusiurandum relaxare. Quod ut et aliorum auctoritate confirmemus unicum testimonium addimus, idque Celeber. FLEISCHERI, k) qui ait: *Neque differunt iuramenta a promissionibus nudis, quoad relaxationem seu dispensationem, sed ab illis sine nota perjurii recedere possunt contrahentes.*

§. XIV.

Quum iura, quae a JCTis res incorporeales vocantur, non minus ac ipsae res corporales dominii iure possideantur, atque vero de iis, quae in dominio sunt, invito domino tertius disponere non possit; statuen-

k) in *Instit. Iur. Nat. & Gent. L. II. C. LX.*

§. 21.



tuendum omnino esse videtur, praeter eum, cui ius competit, neminem posse nec promissum remittere, nec proinde etiam iusiurandum, quod ad promissum accessit, relaxare. Quemadmodum autem non ex omni parte verum est, neminem de alterius iure ipso invito disponere posse: ita et, quae inde deducuntur, vacillant. Considerandus enim est homo non tantum secundum naturalem statum sed et secundum civilem; in quo superiorem habet, cui summum in res subditorum ius competit, vi maiestatis, quod GROTIUS confirmat, l) qui sic, inquit, *in res singulorum majus est dominium regis ad bonum commune, quam dominorum singularium.* Non est huius loci haec ex principiis derivare, quae tanquam aliunde certa licebit praesupponere. Quamvis autem summum ius principi in res subditorum competat: nequaquam tamen exinde sequitur, integrum ipsi esse, quaevis iuramenta pro lubitu relaxare. Suis enim summa haec caeteroquin potestas et ipsa circumscribitur limitibus. Opus igitur est, ut accuratius determinemus, quando princeps facultate gaudeat, iusiurandum subditorum relaxandi. Audiamus autem primo GROTIUM m) ita differentem: *Superiorum actus hoc quidem efficere non potest, ut iusiurandum, quatenus vere fuit obligatorium,*

7076

l) *de Iure Belli ac Pacis L. I. C. I. §. 6.*

m) *l. c. L. II. C. XIII. §. 20.*



non sit praestandum: id enim iuris est naturalis et divini. Sed quia actus nostri non plene sunt in nostra potestate, sed ita, ut a superioribus dependeant, ideo duplex esse potest actus superiorum circa id, quod iuratur, alter directus in personam iurantem, alter in personam cui iuratur. In personam iurantem dirigi potest, aut antequam iuretur irritum reddendo iuramentum, quatenus ius inferioris sub potestate superioris continetur, aut postquam iuratum est vetando, ne impleatur. Nam inferior, qua inferior, obstringere se non potuit, nisi quatenus id superiori placitum esset: amplius enim non habebat potestatem. - - In personam eius, cui iuratur, actus dirigi potest tollendo ab eo ius, quod ei partum est: aut etiam si ius desit, vetando, ne quid ex tali iuramento accipiat, idque duobus modis, sive in poenam, sive ob publicam utilitatem vi supereminens dominii. Non est nobis animus, in haec verba pluribus commentandi, quod post ill. COCCIOS superfluum quoque foret: sed ea tantum deprimemus atque examinabimus, quae rem ipsam proprius adtingunt. Et primo quidem notamus, quae iuramenta contra Leges superioris antecedenter iam latas fiunt, ea nullam omnino parere posse obligationem, atque hinc ad infirmanda illa nullo prorsus superioris actu in personam iurantem directo opus esse, cum per se nulla sint. Secundo loco monemus, caute accipien-



cipiendum esse, cum dicit: inferiorem ob-
 stringere se non posse, nisi quatenus id
 superiori placitum esset. Optime ad
 haec de COCCERII in notis: *imo, inquit,*
si actus iuramento confirmatus legibus loci non
improbatur, actus hic non dependet a placito
superioris, utpote qui ius rite quaesitum ne-
mini auferre potest, nisi in poenam et si sum-
ma necessitas reipublicae id requirit. Quodsi
 igitur superior iuste vetare vult, ne quod
 iuratum est inpleatur, id fieri debet, aut
 quia contra Leges iuratum est, atque tum
 hic casus cum priore coincidit, aut in
 poenam sive ob publicam utilitatem, tum
 vero qua ratione a posteriori casu diffe-
 rat, quo actum superioris in personam
 eius, cui iuratur, dirigi dicit GROTIUS,
 prorsus non videmus. Addimus tertio,
 ex iis, quae diximus, facile apparere, eo
 tantum casu gaudere principem facultate,
 iusiurandum subdito praestitum relaxandi,
 quando vel ex delicto quis iure suo in
 poenam privari potest, vel summa reipu-
 blicae utilitas id deposcit. Atque haec
 apprime sunt consentanea iis, quae Spho
 praecedente diximus, ubi demonstravimus
 iusiurandum relaxari eo ipso, cum obli-
 gatio ex promisso, cui accessit, orta sol-
 vitur. Omnia vero eo redeunt, ut quae-
 stio recte decidatur: an princeps iura sub-
 ditis suis quaesita auferre possit? Quae
 cum sit maximi momenti, ut solide resol-
 vatur,



vatur, plurimum profecto interest. Totus autem est in eo de COCCEN) ut refellat eorum figmentum, qui continuo brocardicum illud iactitant: Principem vi plenitudinis potestatis iura subditis quaesita intervertere posse. Quorum sententia si vera esset, nullum omnino iusiurandum humanis negotiis additum a principe non posset relaxari. Illam vero gravissimis rationibus ita destruxit et funditus delevit, Vir summus, ut nihil possit addi, nihil regeri. Ipse tamen, qui prorsus negandam esse hanc quaestionem solidissime demonstravit, statim subiungit: *Excipitur casus necessitatis publicae: quia hoc casu non ex plenitudine potestatis, sed vi legitimi imperii, magistratus de iuribus subditorum disponere potest: hoc enim ipsa naturalis ratio suadet, ut ingruente necessitate reipublicae populus eam sanguine et bonis defendere debeat. Sed et in poenam vita, bona aliaque iura delinquentibus auferri possunt.* Atque sic egregie confirmat GRATII mentem, o) qui ita inquit. *Sed hoc quoque sciendum est, posse subditis ius etiam quaesitum auferri per regem duplici modo aut in poenam, aut ex vi supereminentis dominii. Sed ut id fiat ex vi supereminentis dominii, primum requiritur utilitas publica; deinde, ut si fieri potest compensatio fiat ei, qui suum amisit, ex communi.* Hoc ergo sicut

C 3

in

u) in Notis ad Grot L. II. C. XIV. §. 8.

o) l. c. L. II. C. XIV. §. 7.



in rebus aliis locum habet, ita et in iure, quod ex promisso aut contractu quaeritur. Ex quibus conficitur, duos hos tantum dari casus, quorum alteruter, si existat, princeps licite et valide non solum promissum subdito factum remittere, sed et si iusiurandum accesserit, relaxare illud possit. In utroque autem casu ius privati transfertur in principem. Et quod priorem quidem adtinet, quando quis ob delictum iure suo excidit, facile liquet, eadem ratione, qua delinquentis bona principi cedunt, eius etiam iura in ipsum transferri. Posteriores, quod concernit, ex ipsa societatis civilis natura fluit, omnes cives quamprimum de salute publica sermo est, quibusvis suis iuribus censerem renunciaffe, eaque in eum, qui reipublicae praest, devolviffe. Quapropter et in utroque casu, cum princeps iusiurandum relaxat, personam eius prae se fert, cui ius ex iureiurando erat acquisitum,

§. XV.

Quae cum ita sint, palam est, praeter eum, cui iuratum est, atque principem eius loco et nomine agentem, nemini prorsus facultatem competere iusiurandum relaxandi. Cum enim nemo invitus suo iure possit privari, nisi a solo principe, id quae tum demum, cum casuum, quos allegavi-

mus



us, alteruter extiterit: nemo quoque tantum sibi fumere potest, ut obligationem ex iureiurando alteri partam tollat atque rescindat. Atque ex his facile est iudicare, quid de relaxationibus iuramentorum in civili foro toties occurrentibus habendum sit. Satis enim, quae hactenus diximus, evincunt, nequaquam eas esse veri nominis relaxationes. In quibus consentientem per omnia habemus Celeber. STRYCKYVM; qui p) huic nostrae sententiae penitus suffragatur, ita ut merito miremur, cum in ipsa re nobiscum prorsus conveniat, eum in verbis differre. Statuit enim, principem tum in poenam tum ob utilitatem publicam effectum iuramenti tollere, nequaquam vero illud relaxare posse, quamvis simul asserat, relaxare ipsi nihil esse aliud, quam vinculum tollere, et posse illud tolli ab eo, cui iuratum est. Qui vero Vir magnus conciliare haec potuerit, integrum esse principi, effectum iuramenti tollere, et vinculum eius tamen subsistere, mihi certe non liquet. Quae autem in foris fiunt relaxationes, maximam partem declaratione nullitatis absolvuntur. Neque vero iniuria, quae hac declaratione indigent, iuramenta Iudicis cognitioni subiiciuntur, cum civitatis intersit, ut nemo de eo, de quo dubium esse potest,

C 4

p) in *Meletem, de Iuram. melet. III. C. II.*



est, an alteri debeat; ipsemet cognoscat; Datur et alia relaxationis species in foris obvia, quae ad quaestionem nos deducit: an obligatio ex iureiurando orta ad tempus tolli possit? Saepissime enim accidit, ut iusiurandum principi a iudicibus praestitum, quando causa principem inter et privatum diiudicanda est, tantisper relaxetur. Verum enim vero et res ipsa docet, et magni nominis Viri dudum agnoverunt, hanc relaxationem plane esse superfluum, cum omnia etiam absoluta iuramenta, prout diximus §. IX, tacitam conditionem includant, ut ne quis contra ea, ad quae antea tum naturaliter tum civiliter obligatus est, adstringatur. Quo pacto manifestum est, iusiurandum principi a iudicibus praestitum, licet non relaxetur, nullo modo eis obesse, quo minus, quid iustum atque aequum sit illo etiam casu pronuncient. Quod autem ad ipsam quaestionem adinet, dici nequit obligationem iurisiurandi ad tempus tolli posse, nisi ea ratione, ut id, quod absolute iuratum est, mutuo consensu postmodum a conditione suspendatur, quo ipso protinus obligatio extinguitur, tum demum reditura, cum conditio extiterit. Possemus plura sub examen vocare, quae relaxationis nomine vulgo veniunt. Nostrum autem non est speciales casus decidere, quibus constitutum erat,

per



per principia Iuris Naturae generaliter demonstrare, quid circa relaxationem iurisiurandi iustum sit; quo munere iam qualitercunque atque ut nobis videtur satis defuncti sumus.

§. XVI.

Quamquam autem iam subsistere hic licebat: non plane tamen possumus a nobismet impetrare, quin vel tribus indicemus, quantam Romani pontifices circa iuramentorum relaxationem subinde sibi arrogaverint potestatem, qui veriti non sunt, quoties ipsis cum summis imperantibus, lis intercessisset, tanquam supremi rerum arbitri eorum subditos ab homagii sacramento liberare. Referta sunt historiarum monumenta exemplis id comprobantibus. Notum est, Gregorium VII. eo temeritatis processisse, ut Imperatorem Henricum IV. diris devoveret, populumque insuper sacramenti et obsequii vinculo solveret, cuius fulminis pontificii ea tempestate tanta vis fuit, ut apud plerisque imperatoria Maiestas vilesceret, et ipse Imperator in summas calamitates et aerumnas coniceretur. Eandem sortem expertus est Henrici filius et in imperio successor Henricus V., in quem Paschalis II. rupta pace cum Imperatore inita, licet horrendis execrationibus et sacramen-

C 5



mentis firmata. Saxones atque omnes Germania Episcopos, soluto obsequii vinculo, concitavit. Non vacat, pluribus commemorare, quae de Friderico I. et Ludovico Bavaro, Imperatoribus, ut aliarum gentium et Galliarum praecipue historiam taceamus, in medium proferri possent exempla. Id unicum e novissimis addimus, Pium V. Pontificem Rom., Elisabetha Angliae Regina rerum potita, subditos eius ab homagii fide liberasse, cuius litterae, quas Bullam appellant, legi omnino merentur, allegatae ab ill. LARREY. q) Patet autem Pontifices Romanos eadem sibi iura et quidem in integras gentes tribuere, quae Principi in subditos competunt, ut nimirum tum in poenam tum ob publicam utilitatem, ecclesiae scilicet, cuius caput ipsi esse contendunt, alterum suo iure exuere, atque hinc et iusiurandum quodcumque relaxare possint. Cui accedit, quod DEO ex quolibet iureiurando ius quaeri statuatur, cuius cum ipsi in terris vicarii haberi velint, licitum

q) dans l'Histoire d'Angleterre, d'Ecosse et d'Irlande Tom. II. p. 192, Digna etiam lectu sunt, quae de hoc argumento inserta inveniuntur dans la Bibliothèque raisonnée T. 38. p. 133. T. 39. p. 48. T. 41. p. 97. atque in PFAFFII Academ. Reden über das Kirchen-Recht, in des 2. Abschn. 2. Cap. §. 6. p. 303. 304.



tum sibi esse existimant, de iure haec discernere, et si visum fuerit, iusiurandum relaxare, Quae quam falsa sint, nostrum non est pluribus demonstrare, utpote a foro nostro aliena; et actum profecto ageremus, cum doctissimi Viri ex Theologorum et Ictorum ordine ea omnia dudum solidissime confutaverint. Sufficit nobis, principia heic exhibuisse, ex quibus quid secundum ius Naturae iustum sit circa iurisiurandi relaxationem facile iam poterit diiudicari. In quo si non profus inutilem nos operam collocasse intelligemus, satis id nobis erit, qui Horatium illud *Epistol. L. I, ep. VI. in fine* cuius occinimus.

*Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non bis utere mecum,*



II.

DISSERT.

*De Cura Principis circa Pretium Aeris
Signati sive Monetae.*

Tubingae. m. Aug. MDCCLIV.

§. I.

Non dubito fore nonnullos, qui argumentum, cui tractando manum admovemus, a Philosophiae practicae foro alienum iudicent, cum certum fit, eos, qui huic disciplinae et exponendae et expoliendae, quin et, quod nostris maxime temporibus contigit, dilatandae operam dederunt, ab huius generis meditationibus hactenus se abstinuisse. Sed hi erunt fere, qui nullam in veritate scrutanda rationem iniri posse, nisi quae ab aliis iam descripta atque virorum doctorum auctoritate firmata sit, putabunt. Hi si didicerint, tam vastum esse huius disciplinae campum, tam fertilem veritatum a generalibus ad specialiora progredientium, ut non unica hominum aetas eum peragrarere atque



atque emetiri prorsus possit, et larga semper adsit copia, iis, quae iam dicta sunt aliis plura addendi: non admirabuntur, nos hanc ingressos esse viam, licet a paucis et tantum non a nemine philosophorum tritam, maxime cum animo reputabunt, eo magis quidque assidua peruestigatione dignum esse, quo propius ad publicam felicitatem facere videtur. Praeterea nos semper in ea fuimus sententia, ut existimaremus, quae ex principiis cuiuslibet disciplinae domesticis deduci possunt legitime, ea omnia eidem etiam iure optimo posse vindicari. Quem autem fugit, practicae id potissimum esse philosophiae, ut de Principum iuribus atque officiis praecipiat? Quis porro ignorat, ad eandem pertinere, ut pretii naturam exponat? Qua in re passim etiam viri eruditi suam collocarunt operam, atque tum de pretio in se tum de eo, quod eminens ipsis dicitur, et pecuniam designat, pluribus disputarunt. Ex his vero, quod tractandum sumus, argumentum prorsus fluit, et facili consequentia potest derivari, ita ut, licet pauci id attigerint, a) nemo autem, quod novi-

- a) Inter eos, qui hoc argumentum non nihil tetigerunt, duos maxime refero, B. D. D. CANZIVM, et Illustrem Dn. de MONTESQUIOV, quorum ille in *Disciplinis Moralibus* §. 3868. seq. nonnulla huc pertinent.



novimus, ex instituto profecutus sit, in iis, quae dicenda a nobis sunt, neutiquam tamen limites disciplinae nostrae simus transgressuri.

§. II.

Ad duo redeunt, quae demonstranda nobis sunt, qui de Cura Principis circa pretium aeris signati differimus. Alterum poscit, ut evincamus, plurimum interesse cuiusvis reipl., ut Summus Imperans rei nummariae prospiciat, atque iustum mone-tae pretium ponat; alterum in eo absolvitur, ut demonstratum eamus, qua id ratione perfici possit optime. Antequam vero id agamus, ex re erit, indolem aëris signati paulo curatius considerasse.

§. III.

Quid aeris signati nomine veniat, prolixiori explicatione vix indigebit. Notum nimirum est, Romanos per quinque priora fere secula ab U. C. solo aere in com-
mer-
nentia strictim exposuit, hic vero in libro elegantissimo et multa eruditione referto, quem inscripsit *Esprit des Loix*, Lib. XXII. plura tradidit, et licet in praecipuis notio-
nes philosophice etiam inquisiverit, suam tamen telam historico potissimum filo per-
textuit.

merciis usos fuisse, quod primus Romae signavit Servius Tullius nota pecudis, unde pecunia est dicta, *b)* licet alii Iano id perperam tribuant. Anno demum ab U. C. 484. *c)* Q. Ogulnio Gallo et C. Fabio Pictore Cofs. argentum primum, et quidem in Templo, Iunoni Monetae dicato, signatum fuit, unde aes signatum moneta quoque vocari solebat. Aurum sexaginta circiter annis serius moneta fieri coepit. *d)* Quum vero antiquo more loquendi metallum, quo in permutandis mercimoniis utebantur Romani aes signatum appellare consuevissent: suffectis in eius locum auro et argento, idem tamen nomen retinuerunt. Nos hanc denominationem secuti, quodvis metallum huicce usui destinatum et publica auctoritate peculiari nota insignitum per aes signatum intelligimus.

§. IV.

Verum enim vero cum haec nondum sufficiant ad pernoscendam aeris signati veram indolem, altius res est repetenda, et prima rei nummariae origo indaganda, ut

b) OVID. Fastor. V. v. 281.

c) Epitom. Liv. L. XV.

d) PLINII Hist. Nat. L. XXXIII. c. 3. conf. WACHTERI Archaeol. nummar. c. IX. §. 3. p. 107-109.



ut intelligatur, quibus rationibus permoti ad hos usus metalla adhibuerint homines. Quemadmodum mutua hominum indigentia, commercia introduxit, eosque permovit, ut, quibus quisque abundaret, alterius penuriam levaret, ex ipsius facultatibus vicissim repetens, quae sibi deessent, sicque res suas permutarent: ita ex altera parte incommoda haud vulgaria, quibus hic contrahendi modus premebatur, effecerunt, ut de remedio cogitarent, quo hisce molestiis obviam iretur. Duplex autem obstabat impedimentum, quo minus per rerum permutationem hominum necessitatibus semper et ex sententia consuleretur. Alterum, quod saepe accidebat, ut ea, quibus quis res alterius sibi comparare et volebat et poterat, alteri minus essent grata; alterum, quod in permutatione earum rerum, quae dividi nequibant, et quibus tamen diversum statuebatur pretium, defectus pretii in alterutra nulla re facile suppleri et compensari poterat. Quae duo impedimenta quomodo tollerentur e medio, ipsa docuit penitior cupiditatum humanarum cognitio. Observatum nimirum est, homines, cum iis instructi sunt satis, quae ad vitae sustentationem pertinent, ea maxime desiderare, quae praeter suam utilitatem, eamque constantem, oramento quoque esse possunt, et suo nitore atque splendore
animos



animos sibi conciliare. e) Adiuumento fuit experientia, qua edocti sunt homines, a potentibus et locupletibus metalla nobiliora maxime appeti, cum quod eorum in omni vita prorsus insignis esset usus, tum quod ob suam soliditatem atque perennitatem commode ac absque dispendio fervari et facile hac illac transferri possent, simul vero gratia atque amoenitate pollerent. Hinc et ii, qui re familiari non adeo ampla utebantur, quocumque carere poterant, id omne cum metallis permutabant, ut haberent, quo urgente necessitate ea, quorum indigebant, facili negotio ab opulentioribus sibi comparare possent. Auxit atque confirmavit hoc desiderium metallorum raritas. Quodsi enim tam larga eorundem suppetiisset copia, ut cuilibet iis potiundi facultas fuisset, non potuisset non pretium eorum imminui, atque pedetentim tantum non expirare.

Hac

e) Ex eadem ratione factum est, ut apud Indos et orientales et occidentales, atque apud eos populos, qui litora Africae incolunt, quoddam genus concharum candidissimarum et nitidissimarum praeter metalla monetae loco habeatur, de quo plura tradit SAVARY. dans le *Dictionnaire universel de commerce; article Cauris et Monnoie* Tom. I. p. 768. Tom. II. p. 1430. edit. recent. Genevens. A. 1750.

D



Hac vero rerum facie contrarium sequi debebat. Omne enim rarum, quod dici solet, carum. Quo factum est, ut metallis semper maius poneretur pretium, et quemadmodum usu venire solet, ut quo maioris quid aestimatur, eo et appetatur vehementius atque a pluribus: ita metallorum quoque desiderium in dies latius ferpere coepit, atque postremo omnes reliquas cupiditates, superavit, sic ut iam de remotissimis temporibus dici potuerit:

*Auri sacra fames quid non mortalia
cogis pectora?*

At vero, licet hac ratione prius impedimentum egregie tolleretur per metalla, haec tamen medela sufficiens haud fuisset, nisi id commodi metallis quoque fuisset, ut divisionem eamque in partes admodum minutas absque iactura commode admitterent. Ea enim est nobiliorum metallorum natura, ut non tantum sint ductilia et malleo extenuata secari se patiantur, sed et ut frustra minutissima ignis ope nullo fere materiae dispendio in massam iterum conflare possint. Quo pacto, cum tam egregius esset metallorum usus, ut eorum subsidio mercium permutatio multo facilior redderetur, atque pristinis incommodis prorsus sublatis inter omnes gentes commercii via panderetur: mirandum non est, homines, qui experiendo hanc insignem utilitatem intellexerunt, hisce usibus quoque unanimi



nimi fere consensu metalla adhibuisse. Vnicum supererat in ipsis metallis incommodum, quod huic usui universali in principio nonnihil obstitisse videtur. Habent nimirum id metalla nobiliora, ut illis ignobilia quoque admisceri possint, quod si iusta adhibeatur proportio, cum non statim incurrat in oculos, neque a quovis detegi facile possit. *f*) non poterat non latam fraudibus portam aperire. Quum enim metallis quibusque non idem statueretur pretium nec statui posset, minus certe accipiebat, ac debebat, atque sic decipiebatur, qui in contrahendo auri puri bessem sibi stipulatus eius ponderis massam accipiebat, cui aeris cyprii sextans admixtus erat. Hinc homines sibi cavere, aliis diffidere, metalla nisi rite explorata non accipere, atque eorum in commerciis usum valde minuere et restringere. Verum et huic incommodo remedium est excogitatum, quum nimirum aes publica auctoritate signari coepit; quod tam feliciter cessit, ut non tantum malum, in cuius gratiam adhibitum erat, penitus tolleretur, quum sic de sinceritate aeris constaret, sed etiam aliud insuper secum ferret commodum, ut quod antea fieri solebat non amplius necesse erat

D 2

f) Quae enim lydiæ lapidis ope instituitur metallorum exploratio, non adeo certa est, ut nullus imposturae locus relinquatur.



erat, id trutina pensari. Nostri instituti haud est inquirere, quo tempore metalla primum signari coeperint. g)

§. V.

Quodsi iam ea, quae haecenus dicta sunt, attento animo revolvimus, haud difficile est, veram aeris signati indolem indicare, atque praecipuas eruere affectiones, quae ita illi insunt, ut sine illis, quod est, amplius esse nequeat. Atque omnium quidem primo inde conficitur, aes signatum mercem esse universalem. Quicquid permutari potest, generaliori significato, merx dicitur, strictiori autem ea tantum res, quae ad permutationem est destinata, et tandem strictissimo ea, quae corporaliter pro re dari potest et ad id destinata est. Ea autem merx dici potest universalis, pro qua omnes res, quae sunt in commercio, acquiri ac comparari poterunt. At vero triplici hoc significato aes signatum merx universalis audit; est enim res corporalis, eaque ad permutationem de-

g.) HERODOTVS auctor est, a Lydiis metalla primum signata fuisse, qua de re consuli meretur WACHTERI Archaeolog. nummar. c. 4. §. 6. Abrahami quidem temporibus id nondum obtinuisse, colligi posse existimamus ex Gen. XXIII. 16. Germapi ante Christum natum auri et argenti usum ignorabant. TACITVS de M. G. C. XVII.



destinata, quaeque facile permutari potest, et quidem pro rebus quibusvis, quae verfantur in commercio. Atque id luculentissime patere puto ex iis, quae de origine aeris signati diximus, ubi ostendimus, eam ipsam ob rationem homines tantopere metallis inhiasse, quod intelligerent, ea facilius multo reliquis permutari et pro iis reliqua omnia comparari posse. Quoniam vero quicquid mercis nomine venit pretio etiam constat, cum permutatio neutiquam sit donatio, facile apparet, quod aeri etiam signato pretium inesse debeat internum. Porro ex hac ipsa affectione tanquam ex fonte derivamus alteram, quae in eo ponitur, ut aes signatum sit simul mensura pretii. Quod ut eo facilius intelligatur, et cum notio pretii praeterea summam tractationis nostrae ingrediatur, paucis etiam illa est evolvenda.

§. VI.

Finiri solet pretium per quantitatem roralem, iuxta quam res et actiones inter se conferri et exaequari possunt. Scilicet quemadmodum corpora respectu voluminis vel ponderis sui inter se conferre, atque rationem inire possumus, qua proportione alicui tertio, quod pro unitate assumimus, respondeant, atque ita quantitatem concipimus, quae tamen, nisi

D 3

inter



inter ea, quae sunt eiusdem generis, locum habere non potest: ita quum pretium rei tribuimus, eandem cum aliis conferre atque rationem assignare solemus, quae respectu ad communem aliquam mensuram habito, inter eas intercedit, sic tamen ut in hac collatione non ad id, quod physice rebus inest, respiciamus, sed ea, quae praeter id in iis concipimus, potissimum consideremus, quod ipsum efficit, ut haec quantitas moralis dicatur. Forsan plenius haec ita intelliguntur. Cuiuslibet rei, quae iis est praedita, quibus constitui debet, sua inest bonitas, quam absolutam dicere solent. Licet vero omne quod bonum est, pretium habere videatur; hic tamen conceptus non cum bonitate absoluta coniungi solet, quippe secundum quam omnia sunt aequalia, atque filici eadem, quae adamanti, bonitas competit. Neque vero bonitas illa, quae relativa dicitur, et secundum quam res aliqua nostrae inservire perfectioni consideratur, pretium rei constituit sola. Certum quidem est, bonitatem in rebus relativam fundamentum esse pretii, neque cuiquam unquam a nobis pretium solere statui, nisi nobis usui esse possit; certum est porro bonitatem rerum relativam differre gradibus atque hinc admittere collationem, sine qua pretium non concipimus; at certum quoque est pretium non consistere



stere in sola quantitate utilitatis, quam res quaelibet praestare potest; quod si locum haberet, aquae profluenti maximum poni deberet pretium, cui tamen nullum tribuimus. Sunt, qui existimarunt, solam raritatem in rebus progignere pretium, quoniam prout quodque est rarissimum ita dicitur carissimum. At pone foetum animalis adeo monstruosum, ut sui similem in orbe non inveniatur, haec certe raritas non efficiet, ut illi pretium aliquod singulare ponatur, multo minus, quo tamen sic fieri deberet, maximum. Tametsi vero, sola rei utilitas pretium non facit, recte tamen dicemus, id quod prorsus nullius usus est, vel quod idem dicit, quod prorsus non appetitur, id nullius quoque pretii capax esse. Tametsi porro nec sola rei raritas pretium parit, iterum tamen verum erit, id, quod ita est commune, ut ubique et semper suppetat, pretio carere omni. Cum igitur nulla res pretio polleat, nisi sit utilis eademque rara, patet, has ideas esse coniungendas, et coniunctas veram pretii naturam sistere. Cuiuslibet itaque rei pretium definiri potest per factum ex eius utilitate in ipsius raritatem. Vides haec quantitatem, est enim factum seu productum; vides quantitatem moralem, utilitas enim et raritas sunt conceptus morales. Non putem haec notandum esse, quod utilitas haec non semper di-



eat verum bonum. Quum enim homines
 pretium rebus ponant, et pro diversitate
 inclinationum suarum res diversimode ap-
 petant, nunquam vero nisi sub ratione
 boni relativi, placuit id utilitatem dicere,
 licet saepissime quid appetatur, quod non
 tantum est inane sed et damnosum. Iam
 constare arbitror, cui rei pretium com-
 petat, at vero sciendum etiam est, quale
 illud sit; quod ipsum etiam definitio pre-
 tii innuit. Id vero determinatur, quan-
 do plurium rerum pretia inter se con-
 feruntur: quod ut fieri possit, opus est
 mensura communi, quae pro unitate assu-
 mitur, atque secundum quam omnia exi-
 guntur. Id quod pro unitate assumitur,
 esse potest vel signum aliquod mere idea-
 le, vel res aliqua, quae pretio gaudet.
 Absonum videtur, merum mentis conce-
 ptum mensurae loco adhibere, cui nihil in
 rerum universitate proprie respondet
 atque ad eundem reliquarum rerum pre-
 tia exigere. At quum dentur populi, qui-
 bus solemne est, sic rerum pretia deter-
 minare, *b*) nemo amplius de possibilitate
 huius

- b*) Hunc morem ita describit ill. MONTES-
 QUIOU dans l'Esprit des Loix Liv. XXII.
 Ch. XVIII. *Les noirs de la côte d'Afri-
 que ont un signe des valeurs sans monnoie.
 C'est un signe purement idéal, fondé sur
 le degré d'estime, qu'ils mettent dans leur
 esprit*

huius instituti dubitabit. Magis vero est receptum, rem existentem, cui pretium semper inest, pro unitate assumere, atque cum ea omnia reliqua comparare. Sic antequam metalla hanc vicem subirent, Athenienses bovem, *i)* pecudem Romani, ad metiendum rerum pretium usurparunt, licet fatendum sit, minus commode id factum esse, cum inter animalia eiusdem speciei et nominis semper insignis differentia pretii etiam respectu intercedat. Tandem vero metallis id tributum est, ut ab omnibus fere gentibus, certe cultiori-

D 5

bus,

esprit à chaque marchandise à proportion du besoin, qu'ils en ont. Une certaine denrée ou marchandise vaut trois macutes, une autre six macutes, une autre dix macutes; c'est comme s'ils disoient simplement trois, six, dix. Le prix se forme par la comparaison, qu'ils font de toutes les marchandises entr'elles. Pour lors il n'ya point de monnoie particuliere, mais chaque portion de marchandise est monnoie de l'autre.

Prolixius haec recenset SAVARY l. c. sub vocibus: *Macoute, Piece, Commerce des Côtes d'Afrique, d'Angola, Loango, Malimbo, Cabindo.*

- i)* Patet id ex HOMERO, qui Glaucum et Diomedem arma aenea aureis armis inter se permutasse, et aenea quidem novem, aurea vero centum bubus constitisse refert. *Iliad. § v. 236.*



bus, tum pro merce universali tum pro
 mensura pretii adhiberentur. Quod po-
 sterius, qua ratione fiat, paucis est indi-
 candum, atque ita telam, cuius filum
 cum Spho quinto abrupimus, iterum per-
 teximus.

§. VII.

Quod solum aeri signato semper com-
 petat pretium, non tantum ex eo patet,
 quod supra diximus, quoniam nimirum
 merx est, et merx etiam universalis, sed
 praeterea inde quoque colligi potest, quod
 et utile et rarum illud est. Quumque
 indubium sit, metalla nobiliora vix ac ne
 vix quidem his affectionibus exui posse,
 neque unquam fore, ut vel usui esse de-
 finant, vel ubivis obvia esse incipiant,
 patet, nullam rem aptam magis fuisse, quae
 ex hominum instituto pretii mensura con-
 stitueretur. Quum vero pro merce uni-
 versali haberi coepissent, non potuit fieri,
 quin simul id praerogativae nanciscerentur,
 ut reliquarum per ea mercium pre-
 tium efferretur atque determinaretur.
 Quemadmodum autem a metallis in assi-
 gnando reliquarum rerum pretio ratio de-
 sumitur: ita quum alterum altero maiorem
 habeat vel utilitatem vel raritatem, ipsorum
 quoque metallorum inter se pretium per
 comparisonem cum certa atque defi-
 nita



rita' metalli cuiuslibet quantitate, debet determinari. Ponamus hanc unitatem esse unciam argenti puri. Ponamus porro nos experientia duce didicisse, unciae auri puri inesse utilitatem et raritatem duodecuplo maiorem. Hinc si pretium unius unciae auri puri per hanc unitatem exprimendum est, dicemus eam aequalem esse duodecim unciis argenti puri. Eodem modo res procedit, si merx aliqua cum hac unitate conferatur. Prout enim utilitas et raritas eius vel maior vel minor vel aequalis est, pretium mercis vel maius vel minus hac unitate vel eidem aequale aestimatur. Atque ita quidem metalla sunt mensura pretii, quae ipsorum affectio effecit, ut aes maxime signatum mercibus opponeretur et pretii eminentis nomine insigniretur. Quam distinctionem quoque PAVLLVS IC., originem aeris signati venuste et multo cum acumine describens, adhibuit. *k)* Ubi id tantum monemus, cavendum esse, ne pro nudo tantum signo habeatur, qua in re multi sunt decepti, et certissimum est, falsam hanc opinionem infinitorum malorum feracem et esse et fuisse. *l)* Quod ut clarius evadat, pluribus est demonstrandum.

§. VIII.

k) L. i. pr. D. de contr. emt.

l) Hac enim hypothesi nitebatur systema famosi IOH. LAWS Scoti, quo Gallias quadri-



§. VIII.

Ostendimus hactenus, aes signatum esse et mercem universalem et mensuram pretii; atque duas has affectiones ex ipsa eiusdem origine deduximus. Ex eodem fonte promanat quoque tertia, signum nempe, quo aes signatum a reliquis metallis distinguitur, non tam imponere ipsi pretium, quam illud potius declarare, licet facile concedamus, per ipsum in metalla aliquod pretii augmentum conferri. Cum enim maior utilitas rei pretium eius quoque intendat, fieri non potest, quin signatorum metallorum pretium non nihil evehatur, utpote quae usibus commercii prae non signatis multo sunt magis commoda. Luculentissime id patere existimo ex iis, quae ad finem Sphi quarti dicta sunt. Cum enim, antequam signari coepissent, metalla suum habuerint pretium, et pro sua utilitate atque raritate semper quoque habitura sint, sive signentur sive non signentur, pretii certe impositio non potuit esse finis, cur signarentur. Quin potius ostendimus ex ea id factum esse ratione,

ut

driennii spatio inde ab anno 1716 usque ad annum 1720, Rege sub tutela constituto, in ultimum discrimen adduxit. Conferri heic possunt: *La vie de Philippe d'Orleans par M. L. M. D. M. et Historische Nachricht von dem Aëtien-Handel. Strasb. 1722.*



ut publica fide de metallorum qualitate et pondere constaret, quo nimirum eorum in commerciis usus eo facilius redderetur. Quum itaque aes signatum eo tantum a reliquis metallis differat, ut qualitas et quantitas metallorum, quam in non signatis quisque ipsemet explorare debet, per signum publica auctoritate declarentur, et vero cognita metalli qualitate et quantitate ipsum eius pretium perspectum sit, manifestum est, signum, quod monetis imprimitur, non tam iis imponere pretium, quam quo gaudeant, tantum declarare. Quae duo cum insigniter differant, omnino non sunt confundenda. Tribui quidem communiter solet monetae pretium duplex, internum et externum; quorum illud nihil aliud designare potest, quam eum nummi valorem, qui ex quantitate et qualitate metalli in eo contenti resultat; hoc vero cum aliud quid significare debeat, inferre videtur, per ipsum signum monetae ex arbitrio pretium imponi. Quamquam autem nos ipsi hanc distinctionem admittimus, neutiquam tamen existimamus, hanc consecutionem exinde deduci posse. Quod ut pateat, liberanda est locutio ab amphibolia. Quando per signum aeri signato pretium imponi dicitur, aut id significatur, absque hoc signo nullum aeri pretium futurum fuisse, aut id tantum, per signum metallis pretii augmentum accedere



dere. Prior significatus locum habere non potest, quis enim dixerit, metalla non signata omni carere pretio? Posterio-rem vero admittimus, sed demuo quaerimus, an illud augmentum pretii in aere signato a libero signantis arbitrio pendeat, an vero inde sit derivandum, quod per signum maior metallis utilitas concilietur? Posterior est nostra sententia, et cum id per impositionem indicatur, non refragabimur, hac ratione novum metallis, dum signatur, pretium imponi, cum manifestum sit, signatis prae non signatis maiorem competere et utilitatem et raritatem. At vero id assertioni nostrae supra stabilitae plane non contradicit, qua eo sensu negavimus per signum metallis pretium imponi, quem heic reiecimus. Quemadmodum igitur utilitas et raritas, quae metallo, ex quo conflatus est nummus, qua metallo inest, ipsius pretium internum constituit: ita peculiaris utilitas et raritas, quae ex signo monetae accedit, pretii augmentum ipsi conciliat, quod interno additum pretium externum efficit. Ex quo satis liquet, non pendere ab arbitrio Principis, quod monetae suae pretium tribuere velit externum, sed alios esse fontes, ex quibus id determinetur. Certum quidem est, Principes tantum non omnes, monetae a se-
cusae maius, exterorum vero nummis minus tribuere solere pretium, et quin id
pru-



prudenti fiat consilio nemo negabit, qui consideraverit, nullo remedio magis certo caveri posse, ne monetae ex prouincia, in cuius gratiam cusae sunt, exportentur. *m*) Ac qui hoc a mero Principium arbitrio pendere existimarit, graviter hallucinabitur. Pone enim, summum imperantem monetae a se cusae pretium statuere externum, quod internum ipsius valorem nimis excedat, nunquam tamen efficiet, ut in commercio iis aequiparetur nummis, quibus idem hactenus fuit pretium externum, multo maius vero inest pretium internum. *n*) Exigua autem differentia tantum abest, ut officiat, ut potius profit. Quodsi vero quaeratur, unde exurgat et quam, legem seu proportionem seruet pretii

m) Sola Anglia hoc remedio non indiget, cum aliis modis, utpote a continente avulsa, monetae suae exportationem impedire possit. Interim nihilo secius hunc morem sequitur.

n) Sic necesse est, nummos melioris commatis pretio externo crescere, quando iis, qui inferioris sunt notae, pretium externum maius statuitur. Hinc patet, cur Caroli aurei, licet secundum legem Imperii monetariam decem florenis haud respondeant, ultra hunc tamen valorem in commercio recipiantur, quum nimirum nummi viliores adhuc multo magis ab hac lege discedant.




tii externi ad internum ratio, duo potissimum fontes allegandi sunt, quorum alter eam, quae constans est, alter vero variabilem continet atque designat. Quod ad fixam atque constantem adinet proportionem, quae inter pretium monetae internum et externum intercedit, oritur illa ex impensis ad feriendam monetam necessario erogandis. Ultra eas et exiguam illam praerogativam, quae nostrae monetae prae extranea tribuitur, ne cum damno reipubl. ad externos diffluat, non potest evehi pretium monetae externum. Licet enim summus imperans subditos suos pro imperio adigere possit, ut quodcumque ipsi libuerit monetae pretium externum statuant et ipsi: id tamen sine gravissima reipubl. iactura fieri nequit ob commerciorum cum exteris necessitatem, quibus nullum iam regnum carere potest. Ponamus autem plus evehi monetae pretium externum, quam impensae ad eam cudendam necessariae deposcunt, tum certe nulla erit inter externos provincia, quae tanti emere vel permutando acquirere velit aes signatum, cum minori impensa id ipsa signare possit. Deinde certum est, regnum, quod monetae suae nimis magnum statuit prerium externum, duplici incommodo expositum iri. Exterienim non nisi viliori pretio eam essent accepturi, maiori vero reddituri. Quod damnum ut
a se



a se avertant subditi, quibus imperio Principis parendum est, nullum habent remedium, quam ut rerum suarum pretia tandem evehant; quo certe efficitur, ut hoc pretii in moneta externi augmentum magis in appellatione quam in re ipsa subsistat. Qua propter differentia pretii interni et externi in moneta multo maior non debet esse, quam impensae ad aes signandum erogandae exigunt. Diximus porro dari etiam proportionem inter pretium internum et externum, quae variabilis est, et vicissitudini obnoxia. Ea vero sui fundamentum habet in commercio, quod efficit, ut iam hoc iam illud monetae genus maiori studio conquiratur, atque ita etiam maioris veniat. Cum primum enim aes alienum certa atque definita aeris signati specie est dissolvendum, quae demum ab argentariis est comparanda, necesse est, pretium eius monetae externum evehi. o) Inde fit etiam, ut eorum regnorum moneta, quae commercio, quod vocant, activo gaudent, h. e. in quorum aere sunt reliqua regna, maius

- o) Hoc fundamento nititur argentaria tantum non omnis. Quod si enim pretium cuiusvis monetae externum stabile esset atque constans, nullum certe ex nummorum permutatione lucrum capi posset, quo sublato nemo profecto argentariam esset facturus.

E



maius quoque habeat pretium externum. Cum autem variabilis haec inter pretium monetae internum et externum proportio, a commercio pendeat, facile liquet, eam non definiiri posse a summo imperante, neque eius curae subesse, quemadmodum fixam, licet nec in hac definienda pro lubitu versari possit. Potuiffemus itaque filere de variabili, sed eam ob rationem utriusque memimimus, ut pateret, notionem pretii externi, quam tradidimus, veram esse, et ad quosvis casus facile posse applicari.

§. IX.

Evolutis iam iis notionibus, quae summam tractationis nostrae ingrediuntur, et maiore indigebant luce, expeditius nobis progredi licet, et facili negotio demonstrari potest, quantum intersit reipubl., ut summus imperans rei monetariae curam gerat atque in statuendo aeris signati pretio solcite versetur. Quum enim ex antecedentibus pateat, quanta sit aeris signati in omni commercio vis et utilitas, quippe quod in universo orbe pro merce universali et mensura pretii habeatur, et vero nemo sit, qui ignoret, cuiusvis rei publicae felicitatem et robur a commerciorum flore et incremento plurimum pendere: certe nisi quis, quod absonum est, negaverit,



verit, ea, quae ad salutem reipl. pertinent a summo imperante cum cura esse providenda, clarissime intelliget, curam circa aes signatum et pretium eius non postremum inter praecipua boni Principis officia locum occupare. Diximus supra, eo fine monetam signari, ut de eius qualitate et quantitate constet, atque ut ita ad eum usum, quem in commerciis habet, magis sit idonea. Quodsi vero nummis diversae vel qualitatis vel quantitatis idem pretium tribuatur, eo ipso hic finis evertetur, qua ex re non poterit non insignem in commercia redundare detrimentum. Cum enim in cudenda moneta nobiliori metallo semper admisceatur ignobilius, reipublicae profecto interest, ut de proportione constet, quae in hac mixtione servari solet. Cum primum enim haec proportio fixa esse definit, et pro lubitu immutatur, id incommodi enascitur, ut fides, quae signo publico in monetis conspicuo habita fuit, concidat, et sic eius generis moneta sine suo excidat, atque ab iis, qui in commerciis plurimum possunt, atque rerum usu valent, pro metallo tantum mixto, p) habeatur. Quod quam damnosum sit, nobis non monentibus quilibet intelligit.

E 2

Acce-

p) Eiusmodi metalla gallica voce *un billon* appellari solent, et tantum abest, ut pretium ipsis externum tribui soleat, ut vix pro interno pretio in commerciis accipiantur.



Accedit et id quod a signo monetae eiusdem appellatio pendeat. q) Quodsi igitur nomen, quod monetae alicui definitae et quali-

q) Nomen alicuius nummi duplicem significatum admittit: vel enim tantundem dicit, ac pretium eius externum; vel etiam peculiarem eius appellationem designat. Uterque hic significatus a signo est repetendus. Ille a signo in genere, quatenus nota publica est, pendet; hic ab eius forma maxime est derivandus. Ille respectum dicit ad Legem monetariam ab eo, qui monetam signari iussit, constitutam; hic vero peculiarem denominationem plerumque ab effigie nummo impressa pendulam eidem tribuit. Sic imperialis (ein Species-Thaler) priori significato dicit partem nonam marcae argenti, posteriori vero nummum indicat, in quo Imperatoris effigies exsculpta est. Sic dantur quoque hoc posteriori significato Caroli, Maximiliani, Frederici, Ludovici aurei, rel. Interim tamen non negamus, nummos saepe nomen quoque sortiri a circumstantiis externis, idque non semper a figura, quam signum refert, derivari posse: Sic floremus dici solet pars decima octava marcae argenti secundum legem imperii nummariam; quae vox ab origine nummum aureum designavit Florentiae cufum, cuius magna olim in commercio haberi solebat ratio.



qualitatis et quantitatis tributum fuit, nummo diversae vel qualitatis vel quantitatis tribuatur, maximam exinde oriri confusionem oppido necesse est. Iam vero si qua in re, certe in commerciis, quae potissimum recto et constanti ordini suum debent augmentum, omnis confusio summo studio est evitanda. Quae omnia satis evincunt, curam circa pretium monetae nec indignam esse summo imperante, nec ab eodem sine detrimento reipubl. negligi posse.

§. X.

Excussimus iam quaestionem, an summus imperans curam pretii habere debeat, quod aeri signato tribuitur? Superest, ut dicamus quoque, qua ratione ipsi in suscipienda hac cura versandum sit. Cum vero haec duplex casus sese nobis offerat, ut nimirum vel monetae demum cudendae aut recens cusae pretium sit statuendum, vel id, quod nummis iam in commercio hominum versantibus vulgo tribuitur, rectius sit determinandum: ad duo haec capita sese extendit maxime in designando aeris signati pretio summi imperantis cura.


§. XI.

De primo primo quoque loco dicendum est. Ut vero eo clarius pateat, qua ratione monetae vel cudendae vel recens



cusae pretium externum sit determinandum, ante omnia de lege monetaria quoque praecipendum est. In omni moneta cudenda ad legem aliquam respiciendum esse, vel ex eo satis colligi potest, quod necessario in commerciorum usum nummi diversi et voluminis et valoris sint fabricandi, in quibus iusta omnino servanda est proportio, quod certe, nisi lex eiusmodi fixa et stabilis adhibeatur, obtineri nequit. Lex autem nummaria nihil aliud dicit, quam normam, secundum quam marca vel auri vel argenti pro diversitate nummorum est dividenda, quaeque simul indicat, qua proportione metallum ignobilius sit admiscendum. Cum enim haec mixtura eo consilio adhibeatur, tum ut moneta eo sit durior, atque minus deteratur, tum et, ut sumtus ad signandam monetam impendendi iterum recuperentur, r) lex aliqua est figenda,

r) Haec mixtura, quae Germanis *Beschickung*, Gallis *Alliage* dicitur, non semper obtinuit. Romanorum enim nummi, quod experientia testatur, maximam partem ex auro vel argento puro sunt conflati. vid. et *Gründliche Nachricht von dem teutschen Münzwesen, cum praef. celeberr. KOEHLERI* p. 43. edit. Goetting. A. 1739. Angli nobiliori metallo pariter ignobilius admiscunt, et sic quidem, ut, secus ac aliae gentes, eandem proportionem in nummis cuiuscum-



da, secundum quam ea finibus hifce con-
 venienter institui potest. Certum quidem
 est, hanc legem a summo imperante esse
 scribendam, neque negamus, eam aliquo
 modo ab eius pendere arbitrio, quod dis-
 versarum gentium leges monetariae omne-

E 4

a se

iuscumque voluminis fervent; licet id non
 eo faciant sine, ut sumtus signaturae lu-
 crentur, cum CAROLO II. regnante, et
 quidem regiminis ipsius anno decimo octa-
 vo, ab ordinibus regni, quos *Parliament*
 vocant, lege sancitum fit, ut moneta pu-
 blicis sumtibus signetur. Conferri hic me-
 retur *The historical Account of English*
Money from the Conquest to the present time,
by STEPHEN MARTIN-LEAKE Esq: the
second edition. London MDCCXLV. p. 355. ubi
 Auctor ita: - *it was enacted, that every*
Person bringing any foreign coin or bul-
lion to the Mint to be coined, should ha-
ve the same assayed and melted down, wit-
hout any charge or defalcation, and for
every pound Troy of Crown Gold, or Ster-
ling Silver, should receive the like Weight
in coined money of Crown or Standard
Gold, and of Sterling or Standard Silver;
and if the bullion, so brought, was finer
or coarser than Crown Gold, or Standard
Silver, so much more or less should be allow-
ed, as it was better or worse, and
without any charge of coinage, or without
any undue preference in the coinage.



a se invicem diversae satis demonstrant. f) At vero haec ipsa diversitas tam exigua est, ut manifesto sit indicio, ab omnibus ad hos tamen fines potissimum respici, licet a nonnullis commodi privati quoque aliqua habita sit ratio, quod an verum summo imperanti, an vero tantum imaginarium afferat lucrum, de eo statim dispiciemus. Interim ex iis, quae de lege nummaria diximus, satis dispalescit, considerationem sumtum in signanda moneta faciendorum vel maxime etiam ipsius naturam ingredi, atque sic secundum ea, quae §. VIII. adstruximus, pretium monetae externum a summo imperante iuxta legem monetariam a se constitutam posse et debere definiri. Fieri quidem potest, ut vel Princeps, quemadmodum diximus, commodi privati, licet tantum apparentis, cupi-

f) Sic aliam legem monetariam Galli, aliam Angli, Hispani aliam, aliam Batavi, aliam nos habemus, et si ad superiora secula ascendamus, quamlibet nationem eam saepe immutasse deprehendemus, cui rei illustrandae praeter diversas totius Imperii leges nummarias inserviunt maximae leges monetariae celebratissimae, Zinnenfis, Lipsiensis, Torgaviensis. Conferendus heic est omnino iam citatus liber *Gründliche Nachricht vom teutschen Münzwesen* et quod Gallos atque Batavos adtinet praecipue eius Csp. VII. p. 216.



cupidus constituat, vel iam antiquitus constituta sit lex monetaria eiusmodi, quae sumtus illos valde excedat, et a reliquorum populorum legibus nummariis plurimum abludat, quo pacto procul dubio pretium monetae externum secundum hanc legem definitum non posset non insigniter differre ab illa notione pretii externi, quam superius l. c. tradidimus. At vero cum hoc casu, quemadmodum ibidem diximus, pretia quoque rerum, quin et extraneae monetae valor, evehantur, res eodem fere redibit, nec quicquam lucrabitur Princeps, quam ut moneta, si aliter id lucrum dicendum, in commercii gratiam ab ipso cusa, extra territorium ipsius ad commercium prorsus inepta sit evasura, vel certe non sine gravi et ipsius et subditorum damno locum habitura. Potest itaque valor monetae vel cudendae vel recens cusae ad legem monetariam a Principe attemperari. Quod si vero ipsa haec lex defectu aliquo insigni laboret, prae omnibus erit corrigenda, atque secundum regulas, quas supra eruimus, rectius constituenda. Caeterum quam gravia etiam sint incommoda, quae exoriuntur, ex lege monetaria minus recte ordinata: multo tamen graviora sunt ea, quae nascuntur, quando in cudendis monetis a lege receditur, et retentis quidem



nummorum appellationibus^{t)} secundum legem, minor tamen metalli puri quantitas adhibetur, ac secundum eam adhiberi deberet. Sic enim non potest non oriri confusio, quae omni commercio nunquam non est damnosa.

§. XII.

Hactenus ita calculos nostros subduximus, ac si unica tantum aeris species pecuniae feriendae inserviret. Cum vero duae potissimum adhibeantur, aurum nimirum et argentum, huius quoque momenti habenda est ratio, ut eo curatius designare possimus, quo cura principis in cudenda moneta respicere debeat. Nemo autem ignorat, maius auro pretium poni quam argento, quod cur fiat ratio facile reddi potest, cum pateat, eam ponendam esse cum in frequentia argenti prae auro, tum in desiderii diversitate, quo hoc prae illo

- †) Eius rei plurima atque profus insignia exempla profert CAROLVS DV FRESNE in *Glossario ad Scriptores mediae et infimae latinitatis* sub voce *Moneta*. Sic v. g. sub rege Ludovico XIII. A. 1602. marca argenti puri habebat pretium 20. librarum. 5. solid. et 4. denar. sub Rege Ludovico XIV. Anno 1649. 26. libr. 10. sol. Anno 1661. 27. libr. 13. sol. An. 1690. 30. libr. Anno 1700. 31. libr. 15. sol. Anno 1705. 35. libr. 4. denar.

illo expèditur, quod ipsum ex notione pretii non potest non ita se habere. Licet vero e duobus hisce metallis argento praestantius semper sit aurum, ipsum tamen pretium, quo a se invicem differunt, neutiquam semper est aequale, sed variationi obnoxium, prout nimirum raritas et utilitas ipsorum relativa vel augetur vel minuitur. u) Cum autem lex monetaria vel maxime etiam ad hoc pretii discrimen in utroque metallo respicere debeat, et commerciis

- u) Dabimus hic consignationem, qua ratione, quae inter auri et argenti pretium intercedit proportio, pro temporum diversitate discreparit, desumptam ex libro Londini anno 1753. in lucem publicam emisso, cui titulus est: *The universal Merchant*. In eo aurum ad argentum dicitur se habuisse Eduardo III. Rege, ut 1. ad $13\frac{3}{100}$, temporibus Eduardi IV. ut 1. ad 11. sub Henrico VIII. ut 1. ad $11\frac{1}{100}$, Elisabetha regnante ut 1. ad $11\frac{6}{100}$, Carolo II. Rege ut 1. ad $14\frac{5}{100}$, et tandem Wilhelmi III. temporibus ut 1. ad $15\frac{2}{100}$. Quum autem Auctor dicit iam aurum et argentum se habere in Anglia ut 1. ad $15\frac{14295}{8200}$, in Hispania veto ut 1. ad $13\frac{5}{83}$: nescio an huic assertioni penitus fides sit habenda, cum in Gallia et apud Batavos proportio ut 1. ad $14\frac{1}{2}$ obtinere videatur. Id certum est, alterutram harum propositionum vitio laborare debere.



merciis optime consultum fit; si firma ea atque immutabilis servetur; facile tamen apparet, exceptioni heic locum esse debere, et legem monetariam, quae in reliquis omnibus magno commerciorum comodo invariabilis servatur, eo tamen respectu, quo per eam pretium auri et argenti relativum determinatur, non posse non tum immutari, quando apud caeteras gentes, quae commercio valent, alterutrius pretium immutatur. Ponamus enim, Germaniam, dulcissimam Patriam nostram, persistere in stabilienda lege nummaria Lipsiensi, secundum quam argenti unciae quindecim et pars decima uni respondent auri unciae, licet apud Gallos et Batavos auri uncia tantum pro quatuordecim et dimidia argenti unciis veneat; dubium non est, quin duae hae nationes, quaecunque Germanis debent, auro sint soluturæ, atque ita nos sensim sensimque argento nostro emuncturæ. Nam cum auro vilius tribuant pretium, Germani autem argento: manifestum est, tristem hanc et damnosam catastrophem necessario esse secuturam. x) Conficitur itaque ex hæc-

nus

x) Egregie id confirmat acutissimus Negotiator Marchio HIERONYMVS BELLONI in venusta dissertatione *Del Commercia Romæ* Ao. MDCCL. cum versione latina edita, et quidem C. IV. maxime vero p. 28. Conferri etiam



nus dictis, summo imperanti in definiendo monetae vel cudendae vel recens cusae pretio maxime ad legem nummariam esse respiciendum, eamque non tantum si prava fuerit, quemadmodum §. antec. diximus, corrigendam, sed et si, quae inter aurum et argentum intercedit proportio, immutata fuerit, pariter ab ipso esse immutandam. Neque opus est, ut pluribus exponamus, unde discenda sit proportio, quae inter utrumque metallum ratione pretii quoquo tempore obtinet. Planum enim est, hauriendam eam esse ex ipso commercio, et hinc vel maxime etiam addisci posse ex Cambii rationibus apud eas potissimum gentes, quae plurimum commerciis pollent.

§. XIII.

Convertimur iam ad quaestionem, quae principis debeat esse cura circa pretium monetae iam cusae, et quae in commercio versatur? Fieri nimirum potest, ut nummi in commercium irrepant, qui licet sint inferioris notae nihilominus nummis melioris commatis aequiparentur. Accidit quoque, ut, quum vicini populi monetam suam solito deteriolem cudunt, ut inquam Principes felicitatis ceteroquin pu-

etiam potest *die gründliche Nachricht von dem teutschen Münzwesen p. 4.*



publicae studiosissimi eos imitentur, metu scilicet adducti, ne si probiorem ipsi monetam cuderint, ea omnis ad externos diffuat, et sequior ipsorum nummus magno reipl. malo invehatur, atque ut sic semper magis magisque a lege nummaria in civitate recepta discedant. Quo pacto cum non possit non sensim sensimque haud mediocris oriri confusio, iis, qui privatis tantum commodis suis intenti nullam salutis publicae curam habent, lata aperitur porta, ex publica calamitate lucrum capiendi. Cui incommodo ut medela afferatur, nulla alia superest via, quam ut summus imperans de re nummaria omni in ordinem redigenda serio cogitet, atque eos quidem nummos, qui nimio pretii interni defectu laborant, ex commercio proscribat, y) eos vero, quibus nimis

ma-

y) Huc pertinet ill. IOH. PETRI de LVDEWIG: *Schwere Politische Frage, ob es besser sey das unhaltbare Geld zu verbieten, oder aber unter der Hand zu dulden?* quae occurrit in ipsius *Gelehrten Anzeigen* Tom. III. Num. LXI. p. 306. ubi rationibus in utramque partem prolatis, ad Problemata eam pertinere iudicat, quo ipso tamen non est a nostra sententia alienus, cum specialem heic casum supponat, et ipsi fermo sit, de eo, quod faciendum est pro Principi Imperii R. G. quando vicini Principes



magnum positum fuit pretium externum, ad iustum valorem reducat. Quod ipsum vero cum recte definiri non possit, nisi lex aliqua monetaria pro ratione circumstantiarum, quemadmodum §. XI. et XII. dictum est, stabilita pro norma adhibeatur, ad quam haec omnia exigantur: malum hoc certe funditus non extirpabitur, nisi lex eiusmodi vel revocetur, vel de novo condatur, atque ad eandem tanquam ad cynosuram solícite respiciatur. Quodsi vero aliquando res nummaria in republ. bene est constituta, optima methodus praecavendi incommoda ex viliori moneta redundantia haec procul dubio erit, ut lege caveatur, ne exterorum nummi a subditis in commerciis accipiantur, nisi antea publice explorati fuerint, et a Principe definitum sit pretium, quod ipsis tribuendum est.

§. XIV.

Pedem iam nobis heic figere liceret, nisi consultum duceremus, ea etiam in medium proferre et diluere, quae hisce nostris

cipes multum infra legem monetariam nummos cudunt. Caeterum adhuc moneamus, plurima summum hunc virum in erudito hoc opere attulisse, quae ad rem nummariam pertinent, et scitu dignissima et lectu iucundissima.



nostris maedtionibus obstare videntur. Sunt, quae non sine specie opponuntur; sunt vero etiam, quae praeiudicatis tantum opinionibus et falsis vel certe confusis de moneta et pretio eius conceptibus omnem suam vim debent, et hinc facile convelluntur. Interim persuasum habemus, eiusmodi disquisitionem, iis, quae superius a nobis dicta sunt, multum ulterius lucis esse foeneraturam. Prima sedes mali in re nummaria procul dubio quaerenda est in eo, quod Pseudo-Politici Principibus persuaserint, esse ex re ipsorum, ut ex monetae signatione non quaecumque sed insigne lucrum captent, eam enim ob rationem ius monetam cudendi ad solum imperantem pertinere, ut partem reddituum constitueret, atque sic hanc facultatem non ad sola regalia sed vel maxime ad cameralia esse referendam; patere id ex institutis antiquissimis; sic apud Gallos monetagium ²⁾ obtinuisse, quod tributum dicit, tertio quoquo anno praestandum, ut Regi monetam mutare non liceat, et quae sunt eiusdem commatis reliqua. Verum enim vero, ut inverso ordine respondeamus, facile quidem

2) Egregia sunt, quae in CAROLI DU FRESNE *Glossario* iam excitato sub voce *Monetagium* occurrunt. Galli id *Seigneurriage* vocare solent, sub qua voce confertendus quoque est SAVARY *dans le Dictionnaire de Commerce*.

dem largimur, apud Gallos vignisse morem hunc; at quis non perspicit, eo fine eum institutum fuisse, ut sumtus a Rege in fabricanda moneta impendendi compensarentur, cum eo tempore Principes nondum monetae pretio interno tantundem detraxerint, quantum ad impensas resarciendas requirebatur, licet sequenti tempore res longe aliam faciem nacta fuerit. Hinc profecto nihil id probat minus, quam facultatem monetam signandi ad reditus sive ad cameralia pertinere, quod quam falsum sit, ex iis luculenter patet, quae supra §. IV. de scopo diximus, cuius gratia moneta signari coeperit. Praeterea autem, si vel maxime daremus, rem Principis privatam augeri posse, si in fabricanda moneta pretio eius interno ultra id, quod lege nummaria constitutum est, detraxerit, manifestum tamen est, principium hoc Pseudo-politicum et perniciosissimum esse, cum felicitatem Principis a salute publica diversam esse contendat, et turpissimam Imperanti maculam affricare, cum nihil ipso magis indignum sit, quam ex calamitate subditorum lucrum captare. Sed, insuper ne vera quidem est haec Pseudo-politicorum assertio, licet specie prima imponat. Lucrum hoc, quod somniant Pseudo-Politici, capiet Princeps aut ab exteris, aut a subditis. Fallitur profecto, qui existimat, exteris nos fucum facere posse; illi

F

enim



enim secundum ea, quae §. VIII. adstruximus, monetae nullum statuent pretium, quam pro valore eius genuino ab ipsis rite explorato. Verum nec a subditis quaestus aliquis ad Principem redibit. Tametsi enim hi vi imperii non possunt non idem monetae pretium tribuere externum, quod Princeps posuit: id tamen sequetur, ut eadem moneta eademque in eodem pretio, quo eam a Principe acceperunt, tributa, vectigalia, et quicquid pendendum est, iterum sint persolaturi. Ita quod lucratum se esse putabat imperans, cum monetam distraheret, id eadem in aerarium redeunte iterum perdit. Quis verò id quaestum dixerit, quando quis quid acquirit ea lege, ut tantundem postmodum rursus amittat? Excipiunt quidem Pseudo-Politici, posse huic incommodo levi remedio subveniri, si nimirum princeps eodem pretio, quod posuit, monetam in suum aerarium deferri haud patiatur, quemadmodum id in vicina Gallia saepe fieri soleat: a) at sic manibus palpare liceret, id, quod lucrum dicunt,

- a) Fidem facile hac in re faciet S'AVARY l. c. sub voce *Monnoies*, T. II. p. 1422. ubi prolixus de variatione monetae articulus reperitur; ex quo non possumus non casum, qui sui similem vix habebit, huc transcribere: *Edit du mois de Mars 1720. qui ordonne une nouvelle fabrication de Louis*



cunt, nihil esse aliud, quam speciem tributi eamque et perniciosissimam, cum turbet commercium, et iniquissimam, cum certum sit, pauperrimos quosque potissimum hanc iactarum sensuros. Unicum superest, cuius respectu dici potest, aliquid lucellum ad Principem redire, si infra legem nummariam nummōs cuderit, ut nempe sic salaria ministrorum ipsius fixa accidantur; quod profecto a principis propo-

F 2

fite

Louis d'argent, autrement tiers d'ecus à la taille de 30 au marc. . . ils auront cours d'abord pour 3. livr. ce qui augmente l'ecu à 9. l. Et par ce meme Edit du mois de Mars, qui ordonne la fabrication. (chose peut etre sans exemple) ils sont aussi diminués par avance, de la maniere, qui suit. Les tiers d'ecu de cette nouvelle fabrique ont donc cours d'abord pour 3. l. A commencer le 1. Mai 1720. diminués à 2. l. 15. s. le 1. Juin 2. l. 10. s. le 1. Juill. 2. l. 5. s. le 1. Aout. 2. l. le 1. Sept. 1. l. 15. s. le 1. Oct. 1. l. 10. s. le 1. Nov. 1. l. 5. s. le 1. Dec. à 1. livre. Ne vero haec in ignominiam Gallorum conficta credantur, provocamus ad alium auctorem Gallum, qui id confirmat dans la Vie de Philippe d'Orleans T. II. p. 54. et addit, edictum hoc regium die 16. Martii datum esse. Verum nec a nobis haec allegantur, ut in Gallos iniuriosus, cum probe sciamus, id tristissimis temporibus Lawianis contigisse.



sito prorsus est alienum, cum penes ipsum sit, ea vel minuere vel augere: certe tanti non est, ut eius gratia rei nummariae et omni commercio gravissimum inferendum sit detrimentum.

§. XV.

Maiores momenti ea sunt argumenta, quibus contenditur, haud necessariam esse monetae deminutionem seu devaluationem, sed plurima potius incommoda inde esse expectanda. Dabimus gravissima in compendio cum solutionibus. Non opus esse existimant complures, ut publica auctoritate legitimum eorum nummorum pretium definiatur, qui infra legem nummariam cusi sunt, ex ea quidem ratione, quoniam id per ipsum commercium iam factum sit. Id enim monetam deminuere, si vel maxime etiam ipsi summi Imperantes maius eidem ponere pretium externum annitantur. Et recte haec dicuntur, neque ego negarim, hanc esse vim commercii, ut vera quoque monetae pretia sensim sensimque definiat, quippe quam sententiam superius non una vice adstruxi. At quid inde? Num ergo sequitur superfluum esse curam Principis in restringendo monetae vilioris pretio? Neutiquam id existimarem. Quotusquisque enim est, qui ea gaudet perspicacia, ut se a fraude aliorum immunem praes-



praestet, qui commerciorum gnari mellus de cuiusque nummi valore iudicare didicerunt, atque ita amplissimam facultatem nanciscuntur, ex aliorum ignorantia lucrum capiendi? Quod longe se habet aliter, cum summus imperans lege lata et publice promulgata quorumvis nummorum pretia vera definit. Iam vero Principis est, etiam infimorum, et eorum quidem maxime curam habere, cum levis iactura omnem ipsorum fortunam possit evertere. Deinde certum est, nihil aliud esse expectandum, quam ut malum indies latius serpat, nisi mature ipsi obviam eatur, tum probioris notae monetam cudendo, tum viliozem deminuendo, vilissimam vero ex commercio eiciendo. Vix enim aliud excogitari poterit remedium, ad cohibendam eorum audaciam, qui probos nummos exportant, et maximo Germaniae damno vilissimis eam replent. Sunt porro, qui putant, monetae deminutionem seu devaluationem plus incommodi quam commodi allaturam, cum eam non possit non insignis confusio comitari ex universali illa nominum, quae haecenus tributa fuerunt nummis, permutatione oriunda. Verum haec paucis nos expedimus. Confusio oritur, quando nomina in res transferuntur, quibus non competunt; quando autem nativo suo significatui vindicantur, tantum abest, ut confusio oriatur, ut potius ordo

sic



sic restituatur, quo everso confusio regnat, restituto autem tollitur. Denique magna cum indignatione audias opponi, gravissima ex monetae deminutione reipl. damna imminere, et cum tanta pecuniae sit raritas, eam potius augendam pretio, quam deminuendam esse. Verum, ut ad posterius primo loco respondeamus, inani figmento sibi illudunt, qui sibi persuadent, pretii monetae externo pro arbitrio aucto plus possideri, quam antea, cum non cogitent, si vel maxime ab ipso etiam summo imperante hoc pretii augmentum stabiliatur et lege confirmetur, eadem proportione et reliquarum rerum pretium auctum iri. *b)* Quemadmodum igitur raritas pecuniae non tollitur aucto ipsius pretio; ita eodem rectius definito et deminuto neque metuendum est, ne eadem intendatur. Eadem mensura mercium, quae iam respondet aureo Hungarico, cum quatuor florenis et dimidio venit in commercio, eidem quoque respondebit tum, cum ipsius valor ad quatuor tantum florenos re-

VOCAT


- b)* Aliter res se habet, si Princeps declarat, vilissimam eiusmodi monetam tantum pro signo habendam, et meliori rerum facie proba moneta esse exsolvendam; cuius rei exemplum praehuit Carolus XII, Suecorum Rex, cuius monetae cupreae, quae imperialem denotabant, adhuc dum prostant, et a curiosis colliguntur,

vocabitur. Fallitur enim, qui existimat mercatores nomine monetae decipi. Auri vel argenti puri massam in nummo contentam respiciunt, ad quam pretium, quod mercibus suis statuunt, exigere solent, quodcumque deinde nomen eidem tribuatur. Quod autem damna adinet, quae reipl. extimescenda esse existimant nonnulli ex monetae deminutione, ea idem argumentum vana et apparentia tantum esse luculenter docet. Contendis certam esse iacturam, neque negari posse, te, qui mille Carolos aureos in cista servatos habeas, cum pretium eorum v. g. ad novem florenos redigatur, centum florenis exui. Praevides forte responsionem, hanc iacturam tantum esse imaginariam. Certus esse potes, te pro eadem summa, licet pretium eius sit deminutum, nisi ex alia ratione haec vel illa merx pretio creverit, tantundem frumenti, vini, aromatum, serici, rei, quantum antea, coemturum esse; quod nisi locum haberet non amplius metallifodinis indigerent Principes; evehendo enim monetae extantis pretium facile omnibus suis necessitatibus subvenire possent. Instas, eos tamen damnum certum incurrere, qui moneta instructi sunt, cui omni prorsus commercio interdicitur. At respondeo, aliud esse monetam, qua monetam, aliud eam qua mercem ex commercio eiici. Licet priori modo improba moneta proscribatur,



et desinat esse merx universalis, non tamen desinit esse merx, ita ut omni pretio privetur. Deferenda est in officinam monetariam, ubi verum ipsius pretium explorabitur, et proba moneta rependetur. Sed sic tamen, inquis, damnum accipitur? Sic, inquam, patescit, nos cum improbam hanc monetam accepimus, damnum esse perpeffos, quod hactenus non sensit-
mus. Aliud vero est damnum accipere, aliud damnum iam acceptum detegere et sentire. Non negamus, eos verum damnum, sensuros, qui sunt in aere alieno, quando id, quod moneta villiori consistant, praestantiori dissolvere deberent. Verum huic etiam malo faesse medela potest afferi; et si omnia recte ponderentur, commodum quorundam privatorum totius rei-
publ. commodo semper esse postponendum nemo unquam dubitabit.

T A N T V M.



III.

DISSERT.

De Notione Obligationis.

Tubingae, m. Octobr. MDCCLIV.

§. I.

Cum disciplinarum moralium ea sit praestantia atque dignitas, ut eas excollendo ipsam, qua praestantibus brutis animantibus eminemus et fruimur, sortem evehere videamur, et praeterea mirificus earum ac prorsus amplissimus in omni vita pateat usus; si ullae aliae certae hae praestantibus ab homine ratione praedito summo studio excoli et penitus investigari merentur. Equidem semper in ea fui sententia, atque in eius generis meditationibus versatus sum saepe; maxime vero inde ab eo tempore, quo disciplinas has publice tradendi in me collatum est munus, id agendum mihi putavi, ut in earundem principia inquirerem, atque primas notiones, tanquam ultimos fontes in-



Indagarem, e quibus reliqua omnia pro-
manant. Inter ea vero, quae prae reli-
quis praecipuum aliquod momentum mihi
ferre videbantur, maxime etiam retuli ob-
ligationis notionem, quippe quae univer-
sum omnis Iuris naturalis systema perva-
dit, et a cuius recta determinatione plu-
rimarum cum antiquiorum tum recentio-
rum controversiarum resolutio atque com-
positio pendet. Quam cum paulo cura-
tius explorare anniterer, seposito omni
partium studio in id incubui, ut veram
eius indolem perdiscerem, et nebulas dif-
citerem, quibus nonnulla in hoc argu-
mento adhuc obscurari mihi videbantur.
Neque me poenituit operae, cum aliqua
me invenisse putavi, haud forte indigna,
quae cum orbe literario communicentur,
et aliorum quoque diiudicationi propo-
nantur. Absit vero, ut quis credat, me
id mihi sumere, ut eruditis novam aliquam
faciem praeferre velim, aut existimem, in-
cognitam ex tenebris in lucem a me pro-
trahi veritatem, quam viri acutissimi et
in hoc studiorum genere exercitatissimi
prorsus ignorarint. Quam maxime enim
alienus sum ab hac arrogantia, et sat lau-
dis consecutum me existimabo, si hoc ar-
gumentum paulo clarius, ac communiter
fieri solet, in hisce paginis exposuero.

§. II,

Considerari solet obligatio duplici potissimum respectu, vel prout imponitur, vel prout haeret in eo, qui obligatur. Priorem activam, posteriorem vero passivam vocari audias. Illam recentiores philosophi maxime Wolfiani, LEIBNIZIVM secuti, adstruxerunt, eamque per *connexionem motivi cum actione* definiverunt; hanc omnes omni tempore admiserunt, et variis definitionibus descriptam dare conati sunt, quae licet in terminis haud parum a se invicem differant, re ipsa tamen prorsus inter se conveniunt. Ex iis, quae ICTI Romani in stabilienda obligationis idea civitatis suae iuribus conformi ad eam postularunt, facili negotio universalis notio erui, et obligatio in genere definiri potest, per *vinculum Iuris, quo necessitate adstringimur alicuius rei vel agenda vel omittenda*. PUFENDORFFIVS eam posuit in *qualitate morali passiva, qua quis prestare aut pati quid tenetur*. Recentiores vero, qui a terminis hisce metaphoricis et paulo obscurioribus abhorrent, per *necessitatem moralem aliquid agendi vel omittendi* eandem exponere maluerunt. Praemittendas duximus has definitiones, ut eo melius pateret, quo respiciendum nobis sit, qui in eruenda hac notione versamur. Quod ipsum dum agimus, tantisper ab iisdem abstrahimus.



abstrahimus, donec ex consideratione humanae mentis pateat, quid de quaque sentiendum sit.

§. III.

Inesse nobis animum rationalem, eumque voluntate praeditum, cuius praecipua affectio est libertas, id tanquam aliunde demonstratum, heic supponimus. Neque enim eorum morem sequendum putamus, qui specialissima quoque argumenta pertractantes non minus, ac si integrum iustumque systema condendum esset, ad ultimos fontes recurrunt, et summum in demonstrando rigorem affectantes tanta cum prolixitate in adstruendis remotissimis etiam veritatibus versantur, ut plerumque praecognita magno cum legentium fastidio, id, cuius gratia proponuntur, absorbere videntur. Et vero vel ex ea ratione licebit nobis libertatem mentis humanae in concessis ponere, quod obligationis notionem investigamus, quae libertate *negata* non posset non inter non-entia referri, quorum notionem evolvere velle oppido ridiculum foret. Libertatem autem, ut dubium non sit, quid per eam intelligamus, definimus, modo in scholis dudum recepto, per *affectiorem voluntatis, qua haec posita*

sitis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere, aut ex pluribus obiectis unum eligere, caetera respicere.

§. IV.

Ex communi loquendi usu obligatio dicit aliquam libertatis restrictionem sive limitationem, eamque ita comparatam, ut libera hominis voluntas nullo quidem obstaculo physico impediatur, quo minus se determinet, prout ipsi libuerit, sed tamen unicum tantum agendi viam eligere possit, nisi ordinem, quem ut sequatur propositum habet, turbare vel evertere velit. Sic qui in societate aliqua vivit, obligatus dicitur ad leges observandas, quae membris societatis praescriptae sunt. Nemo dixerit, has leges libertatem membrorum physico modo restringere, quod si locum haberet, nunquam actio his contraria edi posset. Quapropter omnis haec libertatis limitatio in eo consistit, ut membra societatis, si ordinem ex legibus praescriptis oriundum salvum velint, ultra neo motu eidem conformiter actiones suas instituere debeant. Id vero maxime monendum est, non quemlibet ordinem, ad cuius praescriptum certum aliquod actionum genus tantum suspici posset, eiusmodi limitationem seu restrictionem libertatis quoque producere. Possem enim egomet mihimet



mihimet normam aliquam praescribere, secundum quam liberas meas actiones ordinare constituerem, et a qua, nisi ea violata, recedere non possem; nemo autem unquam id obligationem dixerit. Id enim communi loquendi usui repugnat, ex cuius dictamine nemo sibi ipsi nec legem scribere, nec obligationem imponere potest. Posset vero et alius vel a nobis rogatus vel amore nostri ductus, quum id conducere nobis existimet, normam nobis praescribere, iuxta quam actiones nostrae sint componendae; verum ne sic quidem ex communi illo loquendi usu obligatio producitur, nisi quid amplius accedat. Quid vero illud sit, de eo postmodum dicemus.

§. V.

Duo sunt, quae ex hac consideratione secundum communem obligationis acceptionem hactenus instituta profluunt momenta; alterum, libertatis nostrae restrictionem nihil esse physici; alterum, hanc limitationem libertatis nostrae inducere nobis necessitatem ad agendum vel patiendum. Quae ut clariora evadant, iuvabit, alio quoque modo in utriusque asserti veritatem inquirere. Et quod primum quidem attinet, cum nulla fere difficultate laboret, res facile conficitur. Ponamus enim obligationem consistere in coactione phy-



physica, tum certe libertas non limitabitur, sed tolletur et prorsus evertetur. Id vero sic se habere, facile ex eo patet, quod per obligationem ad unicum aliquod actionum genus restringimur. Iam si physica vis obstiterit, quo minus vel actionem omittere vel ad alias actiones interno voluntatis motu nos determinare possimus, actum sine dubio est de libertate, cuius natura, quemadmodum supra exposuimus, hac ipsa facultate absolvitur. Quis vero unquam id obligationem dixit, quod ipsam libertatem perimit ac iugulat? Omnium consensu ea sola efficit, ut quis obligationis sit capax, qui igitur fieri posset, ut hac inducta illa periret? Patet itaque, obligationi nihil inesse physici, et limitationem, quam infert libertati, ita debere comparatam esse, ut huius natura salva maneat.

§. VI.

Alterum momentum in eo posuimus, quod libertatis nostrae restrictio necessitatem ad agendum vel patiendum inducat. Id vero facili negotio demonstratur. Per restrictionem sive limitationem libertatis nostrae id efficitur, ut cum absque illa plures agendi vias eligere potuissemus, hac posita ad unum tantum actionum genus nosmet. determinare possimus. Ubi unicum



cum tantum est possibile, etiam sub conditione, ibi est necessitas, licet haud absoluta, sed tantum hypothetica, quod ex ipsa definitione necessitatis planum est. Cum itaque id obtineat in obligatione, necesse est, ut omnis obligatio dicat necessitatem ad agendum vel patiendum. Quoniam vero ex primo momento constat, obligationem nihil physici dicere, ut haec necessitas ad agendum vel patiendum eodem modo comparata sit, oportet. Ea vero necessitas, quae non est physica, appellari solet moralis. Ex quibus conficitur, recte se habere, quae superius §. II. proposita est, obligationis passivae definitionem. Quoniam nimirum in obligatione libertas ad unum actionum genus restringitur, in hac consideratione ipsi inest necessitas. Quoniam porro haec limitatio non physicum libertatis haud afficit, necessitas haec dici debet moralis. Quoniam denique actio vel positive vel negative determinari potest, necessitas haec moralis involvit actionem vel suscipiendam vel omittendam.

§. VII,

Atque haec quidem hactenus satis plana videri possunt, neque a quoquam, quod meminimus, circa ea lis unquam mota est. Neque etiam iis prolixè et summa,



ma, qua fieri poterat, perspicuitate exponendis operam impendissemus, nisi sequentium quoque dilucidationi inservirent. Gravior enim est illa quaestio, et maioribus premitur difficultatibus, quomodo imponatur obligatio, vel quid sit obligatio activa. Notae sunt, quae nostris temporibus circa definitionem obligationis activae Leibnizio - Wolfianam exortae sunt controversiae, neque quemquam fugit, quid illustris BARBEYRACIVS in notis ad *Epistolam Anonymi*, seu, quod constat, LEIBNIZII, qua monita quaedam ad principia Puffendorfiani operis de *Officio Hominis et civis continentur*, circa hoc argumentum monuerit; quid WALCHIVS in *Lexico Philosophico* sub titulo: *Moralitaet*, quid TREVERVS in Notis ad Puffendorffii librum de *Off. Hom. et Civ.* huic definitioni opposuerit. Non id agimus, ut haec historicam harum controversiarum recensione exhibeamus, qua propter haec paucis indicasse et vel id unicum adhuc annotasse sufficiet, quod nuper demum DE VATTEL Neocomi causam Leibnizianam adversus Barbeyracium defendendam suscepit in elegantissima dissertatione *Otiolus philosophico* seu *Loisir philosophique* inserta, in qua magno cum ingenii acumine et non minori venustate adversarii sui argumenta refellit. Resolvitur haec controversia in illam quaestionem, utrum

G

mo-



moralitas, quae dicitur obiectiva; veram obligationem progignat, vel quod idem est, an vera obligatio legem formalem a superiore latam semper praesupponat? Nobis haud constitutum est, controversiam hanc ita pertractare, ut rationes utrinque prolatas in medium expendamus, cum potius via analytica in ipsam obligationis notionem inquiramus. Hinc ita nostram pertexturi sumus telam, ut primo quaestionem illam praeliminarem discutiamus, deinde vero nostrum quoque de illa definitione obligationis activae iudicium subiungamus.

§. VIII.

Licet obligatio activa praecedat passivam; utpote quae ab illa promanat; quoniam tamen huius notionem cognitam iam habemus, illius vero ideam veram investigamus: ordine inverso nobis procedendum et ab hac ad illam adscendendum esse putamus. Quod ut fieri possit legitime, opus erit, ut singulos terminos obligationis passivae, quam necessitatem moralem aliquid agendi diximus, rite explicemus. *Morale in genere est id, quod praeter to physicum in re concipimus.* Id vero, cum tantum in relatione consistat ex comparatione illius cum aliis rebus oriunda, patet, *morale in genere esse id, quod in relatione ad alias res*
consi-

*consistit. Morale in stricto significato dicitur id, quod in actionibus liberis praeter tō physicum earum concipere licet. Neque enim cum iis facimus, qui existimant, omne id morale dici debere, quod in actione libera concipere licet, cum perspicuum sit, plurima quoque in liberis actionibus considerari posse, quae ex ipsa natura animae rationali absque morali respectu deduci possunt, atque ita ad tō physicum eius pertinent. Quemadmodum vero id, quod morale in genere dicitur, in relatione rei ad alias res ponendum est: ita id, quod in strictiore acceptione sic denominatur, resolvitur in relationem actionum liberarum ad aliud quid, cum quo conferri possunt, vel, quod idem est, inter se; quae enim uni tertio conveniunt, conveniunt etiam inter se. Id vero ex quo intelligere licet, quomodo plura inter se sint similiter coniuncta, vel convenient, dicitur *ordo*; et si haec similitudo seu conformitas cogitatione vel verbis exprimatur, sistitur nobis *regula*. Morale itaque in specie dicit respectum actionum liberarum ad regulam aliquam, quaecumque deinde illa sit.*

§. IX.

Diximus de eo, quod morale est. Iam porro dicendum quoque erit, quid per necessitatem moralem intelligatur. *Necessari-*



sarium id vocatur, cuius oppositum est impossibile. Cum autem morale in genere relationem rei ad aliam vel alias denotet: in genere quoque moraliter necessarium erit id, cuius contrarium salva hac relatione erit impossibile. Sic impossibile est, ut trium pedum pertica non sit duplo minor pertica sex pedum, salva illa relatione, quae per comparationem earum respectu quantitatis exoritur. Eodem plane modo eruitur, in specie moraliter necessarium esse id, cuius oppositum salvo respectu actionum liberarum ad regulam est impossibile. Sic impossibile est, ut actiones, quarum altera cum regula convenit, altera ab ea discedit, salva hac relatione sibi invicem non sint oppositae.

§. X.

In dubium vocari haud potest, ens rationale intelligens gaudere aptitudine actiones suas liberas cum norma aliqua conferendi, et ad eam instituendi. Cum enim ratio sit facultas perspiciendi nexum veritatum, et omne ens rationale libera quoque voluntate praeditum sit, utrumque ut locum habeat, oppido necesse est. Potest itaque enti rationali imponi eiusmodi necessitas moralis ad agendum vel patiendum. Sola vero aptitudo eandem nondum ponit vel infert, cum ab eo, quod in subiecto aliquo locum habere potest,
ad

ad eius existentiam concludere haud liceat. Quoniam vero id agimus, ut modum investigemus, quo necessitas illa imponatur; alia via est ingredienda, et dispiciendum, an forsitan ipsa norma eam involvat. Id vero quo minus generatim dici possit, multa sunt, quae obstant. Quis enim negaverit, quemque sibi agendorum normam praescribere posse, quam tamen necessitatem moralem parere nemo dixerit? Neque etiam sola alterius voluntas efficit, ut necessitate aliqua morali ex ipsius praescripto agendi teneamur, nisi iure id exigendi gaudeat. Normam equidem cui libet condere facile esset, ad quam nostras actiones ut componamus postulare posset, quis autem vim eidem inesse asseruerit, quae necessitate aliqua morali nos constringat? Ex quibus certe conficitur, normam in se non obligare.

§. XI.

Sed forte datur aliqua regula, cui peculiaris haec inest virtus, ut necessitatem moralem agendi vel patiendi imponat, licet vel maxime omnes reliquae normae ea destituantur? Quae si datur, certe illa est, quae in ipsis rerum essentiis fundatur, et praecipue in natura agentis. Nihil enim tam naturale est, quam ut quodque ens suae naturae conformiter agat, atque id



ut faciant, quae ratione destituuntur entia, physica necessitate feruntur. Solis entibus rationalibus iisque finitis tristissimum illud donum a natura datum est, ut contra, ac ipsorum natura rationalis poscit, non quidem in eo, quod physica voluntatis lex infert, sed quod natura rationalis, ut regula considerata, iubet, agere quoque physico actu possint; quod ipsum tamen donum in ea consideratione, quod physicae necessitati haud omnino subiacent, longe est praestantissimum. Quaeritur itaque cum natura rationalis subiecto intelligenti nullam imponat necessitatem physicam, ipsi convenienter agendi, an non moralem tamen inferat? Et omnino rem ita se habere pronunciamus. Secundum ea enim, quae §. IX. diximus, moraliter necessarium illud est, cuius oppositum salva relatione actionum liberarum ad regulam est impossibile. Posita igitur huius relationis necessitate, ponitur ipsa necessitas moralis in ente intelligente. Iam vero posito ente rationali, quatenus rationale dicitur, ponitur etiam necessario relatio actionum ipsius ad naturam suam rationalem; atque sic necessitatem moralem ad agendum vel patiendum id, quod naturae rationali conforme est, in omni ente rationali locum habere patet. Facile autem apparet, necessitatem hanc entibus intelligentibus a natura ipsorum rationali haud



eo respectu imponi, quoniam est regula, sed quoniam ipsum ens intelligens absque hac regula ne cogitari quidem potest. Sic homo ratione sua utens percipit ipse, agendum sibi esse secundum id, quod ratio dicitur, et si secus egerit, non potest non agnoscere, se admisisse aliquid, quod se id, quod est, esse negat, h. e. egisse, quod omisisse oportuisset.

§. XII.

Quum vero heic inquiramus, quomodo imponatur haec necessitas moralis, id iam paulo distinctius est exponendum. Et primo quidem loco facile liquet, eam originem suam trahere ex ipsa obiectorum natura, circa quae versantur actiones entium agentium liberae. Quicquid enim ratio agendum dicitur, id omne desumit ab ipsis rebus seu obiectis. Atque hinc obligatio haec recte etiam vocari potest *obiectiva*, quemadmodum philosophi omnem moralitatem secundum hunc considerandi modum prodeuntem obiectivam dicere suserunt. Deinde cum ea sit entium rationalium natura, ut in suis volitionibus secundum ea, quae ab intellectu ut bona repraesentantur, sese determinent, repraesentatio vero boni vel mali ad nos relati motivum dicatur: consequens est, ut nexus, qui inter motivum eiusmodi et actionem



nem liberam intercedit, hanc agendi necessitatem imponat. Quod ipsum itidem confirmat, hanc obligationem esse obiectivam, cum intellectus bonitatem rebus haud tribuat, sed eandem in obiectis detegat.

§. XIII.

Quale vero sit eiusmodi motivum paulo curatius investigandum est. Non enim quaelibet repraesentatio boni vel mali necessitatem moralem inducit. Naturale potius est homini, ut bonum relatum ad se ab intellectu cognitum appetat, malum vero aversetur; atque legem hanc, utpote in ipsa animi natura fundatam, physicam potius quam moralem ipsi necessitatem imponere, vel obiter rem consideranti perspicuum esse potest. Quae cum diversissima sint, solícite a se invicem sunt distinguenda, et mirandum profecto est, quod a pluribus haec idearum confusio non satis fuerit evitata. Impossibile enim est, ut ens intelligens, id quod in ipso actu, quum se ad agendum determinat, bonum, vel si mavis, optimum iudicat, non appetat quoque, atque id quidem physice impossibile est. Verum de hoc nobis non est quaestio, cum necessitatem moralem investigemus, quae semper relationem actionum liberarum ad normam aliquam involvit, et, in substrato, relatio-



tionem earundem ad naturam rationalem fecum ferre debet. Ut igitur pateat, quid heic per motivum intelligatur, cuius nexus cum actione libera obligationem infert, nonnullae ideae in subsidium sunt vocandae, quae huic materiae lucem aliquam foenerari possunt.

§. XIV.

Status moralis entis intelligentis est illa ipsius conditio, quae ex consideratione relationis, quam actiones liberae ipsius ad certum ordinem habeant, exoritur. Quemadmodum igitur id, quod statum entis physicum perficit, bonum vocari physicum solet: ita eodem modo, quod statum ipsius moralem perficit, bonum morale appellandum erit. Quo maior itaque aderit actionum liberarum cum illo ordine conformitas, eo maior quoque locum habebit perfectio. Quod licet ita se habeat, non tamen eodem modo in perfectione sua morali promovenda versantur entia intelligentia, quo in physica. In hanc enim feruntur impulsu naturali, eoque physico; illam vero ut prosequantur, morali tantum necessitate adstringi se sentiunt. Motivum itaque, quod cum libera actione coniunctum necessitatem gignit moralem, dicit repraesentationem boni moralis. Quibus praemissis, iam ad ea, de quibus nobis sermo est, fieri potest



applicatio. *Convenientia actionum liberarum cum natura entis intelligentis rationali* vocatur *honestas*, et eius contrarium *turpitudine intrinseca*. Cum itaque id, quod intrinsece honestum est, procul dubio dicat bonum morale, motivum, cuius connexio cum actione libera producit obligationem, quam diximus obiectivam, ponendum erit in repraesentatione honesti, ad committendas actiones, et in repraesentatione turpis, ad easdem omittendas.

§. XV.

Atque sic quidem ostendimus et quod enti cuilibet intelligenti a natura ipsius rationali obligatio imponatur, et quomodo id fiat. Ostendimus praeterea hanc obligationem optimo iure *obiectivam* vocari. Insigniri vero ea solet aliis etiam denominationibus. Sic *naturalis* appellari solet, quoniam in natura entis intelligentis rationali fundatur. Sic *essentialis* audit, quoniam ex ipsis rerum essentiis profluit. Vocari porro potest *imperfecta*, quoniam nulli iuri respondet, quod alteri competit, vi nos adigendi, ut, quod haec obligatio iubet, quoque perficiamus. Ex hoc enim solo fonte, quod recta ratio dicitur, hoc vel illud a nobis agendum vel omittendum esse, nemini ius eiusmodi quaeritur, vel facultas confertur, adhibita
vi



vi ad actiones nostras cum natura, qua gaudemus, rationali conformandas nos compellendi. Quod ut locum habeat, propius indicandum est fundamentum, de quo statim etiam dicturi sumus. Denique *materialis* quoque dici potest haec obligatio respectu nempe illius, quae formalis vocari solet, et a voluntate alterius entis intelligentis pendet. Etenim ipsa materiam quasi praebet formali, neque is, qui iure pollet alterius libertatem circumscribendi, et a quo sic subiectiva obligatio proficiscitur, actionem praescribere potest, obiectivae huic obligationi contrariam,

§. XVI.

Quemadmodum autem norma, quam ipsa entis intelligentis natura rationalis sistit, ut haecenus diximus, necessitatem moralem imponit: ita voluntas alterius quoque entis intelligentis normam alteri praescribere potest, ad quam, ut actiones suas componat, morali necessitate adstringatur. Et necessarium id quoque esse in entibus finitis intelligentibus nullo negotio demonstrari potest. Quo imperfectior enim est, qua fruuntur, ratio, eo sunt procliviores ad transgrediendam illam obligationem, quam obiectivam appellavimus, et eo facilius fieri potest, ut actiones rationis dictamini contrarias suscipiant, cum



cum sciant, id impune fieri posse. Licet enim negari haud possit, eiusmodi actiones sequelas habere naturales, quae ipsam physicam quoque agentium perfectionem vel minuunt vel destruunt; et a quibus entia rationalia non possunt non naturaliter abhorrere; tamen cum illa incommoda non semper tam cito se manifestent, et plerumque bonum physicum praesens longe potius videatur, quam mala illud excipientia, fieri solet, ut pauci incommodis illis, quae reformidanda ipsis essent, commoveantur; quod longe se habet aliter, quando est, qui eorum, quae commissa sunt, rationem quoque reposcere potest. Ut vero quis alteri necessitatem agendi moralem imponere possit, opus est, ut facultate quoque morali praeditus sit, quae id ut facere possit, infert. Haec autem *facultas moralis in subiecto intelligente alterius actiones liberas determinandi, dicitur Ius.*

§. XVII.

Ius alterum obligandi derivamus ex dependentia entis intelligentis ab ente intelligente. Qua in re praeter plurimos eosque gravissimos viros adstipulatur nobis HOCHSTETTERVS, quem allegasse sufficiet, et cuius verba a) sic habent: *Duae itaque sunt*

a) in *Colleg. Puffendorff. Exerc. III. §. V. not. c.*



Sunt iustae causae, duo isti fontes vel fundamenta sunt obligationis. I. Insignia nimirum bona in alterum collata, et II. consensus ultroneus. Bonorum nomine non simplex intelligitur beneficium, quippe quod non aliam fundat obligationem, quam quae est ex capite gratitudinis, amorem venerationemque postulans, non tamen, quae alterum sub benefici imperio constituat. Sed ingens, quod auctor appellat, bonum, quod quis vel in Esse vel in Conservari ab alio accepit. Et paulo post: Solent alii verbis quidem diversis eodem tamen sensu, quod diximus, enunciare: priorem causam esse dependentiam subiecti ad imperantem; posteriorem autem ultroneam subiectionem. Putamus duas has causas ad unam posse revocari, nimirum dependentiam entis intelligentis ab ente intelligente. Nemo enim negabit, ultroneam subiectionem pariter producere dependentiam atque ita hae duae causae haud aliter different, quam ut illa dicat dependentiam connatam, haec acquisitam. Quod autem dependentiam entis intelligentis ab ente intelligente ius gignat, obligationem eidem imponendi, ex ipsis terminis planum est. Quod enim ad connatam adtinet, procul omni dubio, qui existentiam dedit enti rationali, facultatem quoque moralem habebit ipsius actiones dirigendi, cum quod ad quem pertineat, de eodem is quoque disponere possit. Quod vero acquisitam concernit, aut is, a quo alter



alter dependet, ius habebit eius libertatem quoque restringendi, aut dependentia haec erit prorsus nulla; neque enim moralis dependentia, qualis haec esse debet, concipi potest, nisi in hoc ponatur. Videbimur forsan pluribus eodem, quo PUFENDORFIVS, modo impingere in hac demonstratione, cui vitio datum est, quod in stabilienda, hac veritate circulum commiserit. Quum enim b) dixisset: *introducitur obligatio in animum hominis proprie a superiore, b. e. tali, cui non solum vires sunt, malum aliquod repraesentandi contra nitentibus, sed et cui iustae sunt causae, quare postulare queat, ex suo arbitrio voluntatis nostrae libertatem circumscribi: c) ad haec CANZIVS sequentia regeffit: secundum Pufendorffii sententiam datur iustitia causae ordine rationis antequam superior concipi possit. Iam vero ita argumentamur: aut eo, quod iustum est, homines obligantur, aut non obligantur. Si eo, quod est iustum, obligari homines dixeris, tum datur obligatio antequam superior sit constitutus, id quod nos probare contendimus. Si illis iustis causis, quas, qui superior esse vult, demonstrat, homines non obligari dixeris, tum nemo ne iustis quidem causis imperantem obsequio venerari devinceretur, quod est absurdum. Sed paucis nos expediemus; et primo quidem haec ob eam rationem non feriunt nos, quo-*

b) de Offic. H. et C. L. 1. c. 2. §. 5.

b) in Discipl. Moral. §. 45.



quoniam cum Pufendorffio moralitatem antecedenter ad legem formalem haud reiiicimus, et obligationem quoque obiectivam admittimus. Deinde monemus, nimis heic premi locutionem *iustae causae*: iustum enim non sumitur hic in strictiori significato, quo acceptum legem formalem non antecedit, sed semper supponit. Sed id hisce verbis dicere vult Pufendorffius, *cui verum competit ius*, quo pacto tota objectionis vis corrui. Huius vero iuris fundamentum omnino est dependentia, quemadmodum ex antecedentibus liquet.

§. XVIII.

Sicut vero ius ex dependentia exoritur, ut non possit non competere ei, a quo dependet alter; ita ex eodem fonte promanant obligatio, quae cum sit correlatum iuris, cum primum hoc datur, et ipsa locum habere debet. Vocari potest et solet haec obligatio, *formalis, perfecta, subiectiva, positiva*, quarum quidem denominationum rationem facile colligere licet ex iis, quae §. XV. diximus. Ut vero ens rationale idque dependens intelligere possit, se ad hoc vel illud a superiore suo actu obligatum esse, opus est, ut ipsi de eius voluntate constet, quae norma est, ad quam suas actiones liberas componere tenetur. Illa vero appellatur lex,
et



et actio libera tum lege conformis dicitur iusta. Quodsi itaque quaeratur, quomodo obligatio actualis ad hoc vel illud formaliter imponatur, retineri itidem potest illa obligationis activae definitio per connexionem motivi cum actione, quam supra admisimus, hoc unico servato discrimine, quod motivum, quemadmodum in obligatione obiectiva dicebat repraesentationem honesti §. XIV., heic iusti repraesentationem designet.

§. XIX.

Ex haecenus dictis colligitur, quod etiam definitioni Leibnizio-Wolfianae de obligatione activa sua constet veritas. Nihilominus tamen impetrare a nobis haud possumus, ut eidem pure subscribamus, cum consensus noster cum illa definitione in verbis magis consistat, quam in re. Ut vero id luculentius pateat, qua in re nobis illa peccare videatur, in rem praesentem eundo declarabimus. Agedum attendamus, quomodo obligationis notio a Wolfianis eruatur. Inter eos, qui Systema Wolfianum et maxime morale excoluerunt, eminet HENRIC. KOEHLERVS, qui iure meritoque suis scriptis magnam nominis celebritatem consecutus est. Is vero de origine et impositione obligationis d) ita differit: *Cum*
doctri-

d) in *Exercitationibus Iuris Nat.* §. 300.



doctrina de obligatione morali sit momentosa et per plures Iuris naturae articulos se diffundat, sollicitos nos esse oportet de distincta obligationis notione eruenda. A singularibus itaque casibus, in quibus illo termino utimur, ascendamus ad illius ideam universalem. Respublica quae cives suos commovere vult ad fugienda furta, spolia, latrocinia, certamina singularia aliaque eiusmodi delicta repraesentat legum transgressoribus suspendium, vivicomburium, capitis truncationem, et alias eiusmodi poenas. Poenae sunt species malorum. Hinc princeps in obligandis suis subiectis mala repraesentata connectit cum actionibus fugiendis. Sed cum repraesentationes malorum, voluntatem nostram determinantes motivis accenseantur, a principe motiva connectuntur cum actionibus, quas iniungit civitas fugiendas. Si abstraxeris a Principe et Civibus, prodibit haec notio universalis, quam debemus Wolfio; obligatio moralis in genere est connexio motivorum cum actionibus. Haec vero ut ingenue fatear, genesin obligationis moralis haud quaquam mihi sistere videntur. Liceat enim respondere per instantiam, eodem modo obligationem moralem locum habituram, si latro mortem nobis minaretur, nisi crumenam tradamus. Adest enim haec motivum, adest actio libera, adest nexus inter actionem et motivum. Quis vero id tulerit, atque unquam dixerit, factum eiusmodi latronis obligationem producere moralem? Et

H

om-



omnia tamen hic sunt paria. Neque tamen ego negavero vera teneri subditos obligatione, ut Principis edicto, quo delicta interdicat et transgressoribus poenas minatur, morem utique gerant. Patet itaque insigne omissum esse momentum, quod utrumque casum maxime disparem reddit. Principi enim parendum est, quoniam iure gaudet, actionibus nostris normam praescribendi, quam facultatem nemo certe latroni tribuerit. Deinde facile patet, per factum hoc principis, quo poenam cum delicto connectit, non tam produci obligationem quam supponi. Ex ipsa dependentia, quae, ut quis alteri subditus sit, efficit, statim oritur et ius et obligatio. Neque profecto eum in finem a legislatoribus sanctio poenalis legi adii-citur, ut demum obligentur ei, quibus parendum est, sed ut commoveantur, ad faciendum id, quod obligationi ipsorum iam antecedenter ad legem propositam ipsis incumbenti est conforme. Recte hinc se habent, quae DE VATTEL, oppugnate) BARBEYRACII verba; *On confond ici le motif de l'obligation, ou ce, qui porte plus efficacement à s'y soumettre, avec le fondement de l'obligation, ou la raison pourquoi on est tenu indispensablement, de faire telle ou telle chose; licet in reliquis quoque acu rem ipsum tetigisse asseverare haud audeamus.*

§. XX.

e) *Loisir philosophique* p. 28.



§. XX.

Quodsi itaque admittenda est definitio illa Wolfiana, longe certe alius ipsi sensus est tribuendus, ac in hoc systemate fieri solet, ubi motivum, quod cum actione connexum obligationem producere dicitur, repraesentatio boni cuiusque et maxime physici audit. Superius enim iam demonstravimus, ut obligatio oriatur, motivum esse debere repraesentationem boni vel mali moralis. Nisi igitur discrimen illud, quod inter perfectionem physicam et moralem intercedit, recte observetur, non potest non haec confusio exoriri. Facile quidem lagimur, moralem perfectionem inferre quoque physicam, atque ita utramque quodammodo coincidere, cum quod naturae hominis rationali convenit, eundem quoque physice perficiat: at quemadmodum moralis perfectio in eo consistit, ut per operationem intellectus pro certo concipiendi modo stabiliatur, ita omnino a physica perfectione est distinguenda. Equidem existimo, Systema morale Philosophiae Wolfianae potissimum hoc naevo laborare, quod perfectionem physicam cum morali, h. e. utilitatem cum honestate confundat. Quod false ridet venustissimi et perpoliti ingenii vir, non minus stili elegantia quam eruditionis laude clarissimus CAROL. FERD. HOMMELIVS in



lepidissimo libello, quem pene fatyricum dixerim, quique *propositum de novo Systemate Iuris Natur. et Gent. ex sententia veterum Ictorum concinnando* inscribitur, ex quo sequentia adhuc adiungimus: *Et huius, (Epicuri) quidem sectam, omnes, qui nunc vivunt, sequuntur, nec ullum novi, qui Socraticum se aut Stoicum dicere possit. Nam illa vox, quae profecta a Socrate omni in tempore in porticu resonabat; ad virtutem non requiri voluptatem, sed recte faciendum esse, etsi nullum inde emolumentum nos maneat, illa, inquam, vox hodie omnino conticuisset videtur. Qui enim nunc vivunt, nos praemiorum dulcedine ad virtutem evocari putant, imo ne expetendam quidem eam esse existimant, nisi voluptatem efficeret.*

T A N T V M.

IV.



IV.

DISSERT.

Consensus praesumptus cum Quasi-Contractibus e Iure Naturae proscriptus.

Tubingae. m. Octobr. MDCCLV.

§. I.

Inter omnes Philosophiae partes nulla est, quae menti humanae paululum tantum de se rebusque aliis meditati prius occurrat, frequentiusque obversetur, vel magis etiam in omnes vitae humanae rationes et singula eius commoda influat, quam ea, quae practica dici solet. Mirari hinc fatis haud possumus, qui fieri potuerit, ut reliquae omnes summo studio inde ab antiquissimis temporibus excolerentur, haec vero vel inculta prorsus et spissis tenebris involuta iacuerit, vel praepostero certe conatu investigata fuerit et pertrata.



ctata. Quamvis enim SOCRATES, veterum
 Philosophorum facile Princeps, quod in
 summis omnino eius laudibus ponendum
 est, Philosophiam, ut de ipso dici solet,
 de coelo in terram reduxisset, omnesque
 suas institutiones potissimum retulisset ad
 mores, et Stoïci, qui non minus ac aliae
 sectae diversissimae ex ipsius Schola pro-
 dierunt, nulla re magis quam Philosophiae
 practicae studio excolendo occupati esse
 videri voluissent: nemo tamen eorum,
 qui ex historia philosophica non plane ho-
 spitem retulerunt animum, ignorat, quan-
 ta cum confusione omnia, quae ad hanc
 disciplinam pertinent, tradita fuerint, ita
 ut ipsae etiam acutissimae et elegantissimae
 veterum sententiae morales chaos aliquod
 seu rudem indigestamque molem potius
 sisterent, quam systema cohaerens et iu-
 ris legibus definitum referrent, donec GRO-
 TIVS in praestantissimo opere suo de *Iure Belli
 ac Pacis* Iurisprudentiam naturalem a reliquis
 disciplinis practicis solícite discernere atque
 separare, eiusque ambitum curatius deter-
 minare coepisset. Cuius summi viri vesti-
 gia strenue legerunt postmodum alii de re-
 publica literaria meritissimi, qui de hac
 disciplina in Artis, quod aiunt, formam
 redigenda, et ad eam, quam reliquae sci-
 entiae gerunt, faciem efformanda cogita-
 runt, ipsumque aedificium, a GROTIO
 stru-



strui coeptum, roborarunt, emendarunt, multisque praeterea accessionibus locupletarunt.

§. II.

Quod dum agebant, facile senserunt, in condendo Iuris Naturalis Systemate, haud mediocri adiumento sibi futura esse Iuris Civilis Systemata atque illud maxime, quo Romani olim usi sunt, quodque a Graecis petitum et suae reipbl. in doli accommodatum summo studio summaque industria excoluerant. Et multis profecto exemplis probari facile posset, cum ipsum GROTIUM, tum eos, qui ipsum secuti sunt, ad haec Iuris Romani placita in concinnandis Iuris naturae praeceptis tanquam ad helicen aliquam respexisse. Neque id ipsis vitio est omnino vertendum, cum negari haud possit, ipsas quoque Leges positivas, ubi non ad peculiarem aliquam reipbl. constitutionem accommodatae sunt, in generalioribus ad sensum illum, qui hominibus de naturali agendorum omittendorumve honestate vel turpitudine ingenitus est, fuisse compositas, atque sic ex eodem fonte, quem recludit Iuris prudentia naturalis, promanasse. Quemadmodum igitur ii, qui veritates universales investigaturi analyticam viam sequuntur, singulares primum easque ma-



gis compositas considerationi suae subiiciunt, et sepositis deinde determinationibus ex accidente oriundis altius ascendant, atque sic tandem ad prima idearum stamina pertingunt: ita qui ius universale indagaturi eandem viam tenent, iura positiva contemplando, et adverso quasi flumine cursum eorum sequentes, rivulos aliunde ingestos solícite secernendo, haud dubie ad ipsum omnis iuris fontem penetrabunt. Quamvis enim certum sit, Iurisprudentiam naturalem ab ipsa etiam naturae humanae consideratione peti, atque ita a priori, ut in scholis loquuntur, deduci atque demonstrari et posse et debere: haud minus tamen indubium est, id ipsum quoque a posteriori fieri posse, et persuasum omnino habemus, eos, qui Systema aliquod condunt, nulla re magis in veritatibus, in quas inquirunt, quasque tradunt, confirmari posse, quam si utramque methodum in stabiliendis scitis suis adhibuerint. Quodsi enim sic utrinque idem sistitur, vix adhuc dubio esse locus potest.

§. III.

Quemadmodum vero id habet incommodi methodus analytica, ut saepe ea, quae secernenda fuissent, haud sufficienter secernantur, naevi autem sic admissi, nisi metho-



methodi syntheticae ope per legitimam ex principiis certis et indubitatis illationem, haud facile detegantur: ita haud difficulter intelligitur, fieri potuisse, ut, dum viri docti in condendo Iuris Natur. Systemate ad Iuris Rom. placita respicerent, nonnulla, quae huic peculiariora sunt, non semper observata curatori attentione, in illud inferrent. Enatae hinc sunt controversiae de pluribus doctrinae capitibus, utrum ad Ius Naturae referenda sint, an vero soli Iuri Romano censeantur propria. Sic quaeri solet de successione, cum ab intestato, tum per testamenta. Sic quaeritur quoque de servitutibus. Sic quaestio etiam moveri solet de usucapione et praescriptione, et quae plura sunt alia. Praeprimis vero huc etiam pertinere putamus quaestionem, utrum consensus, qui Ictis dicitur praesumptus, Iuri Civili Romano proprius, an vero etiam Iuri Naturae vindicandus sit? Cui cum innitatur sic dicti Quasi-Contractus, facile apparet, prout ipse consensus praesumptus vel in Iure Naturali locum habere vel ab eo exulare statuitur, eos vel in illud recipiendos vel ab eo removendos esse. Quum vero circa ipsam hanc quaestionem insignis sententiarum diversitas se prodatur, neque hoc argumentum, quantum nos quidem novimus, ab aliis occupatum et ex instituto pertractatum sit, si Cl. QVIS-

H 5

TOR.



TORRIVM exceperis, cuius libellus *de consensu* J. N. praesumpto ex actis literariis nobis innotuit, nondum vero haecenus ad nostras pervenit manus: haud abs re fore duximus, si data opera id excutiendum nobis fumeremus.

§. IV.

Ut autem rite et ordine procedamus, primo omnium loco dicendum erit, quid per consensum praesumptum intelligendum sit. Et cum negari haud possit, notionem hanc ex iure Civili Rom. in Jus Naturae illatam esse, quod iurene an iniuria factum sit, iam nondum disquirimus, optime procul dubio nobis consulimus, si virum hac in re excitamus, quem solidam Iuris Rom. cognitionem cum haud vulgari Iuris Natur. peritiâ coniunxisse novimus. Quo elogio dignus utique est NICOL. HIERONYMUS GUNDLINGIVS qui a) consensum praesumptum definit *per eum, qui ex facto quidem non omnibus cognito per ratiocinationem tamen adseritur*. Quae definitio, licet paulo obscurior videatur, nihilominus tamen consensum praesumptum sufficienter ab expresso et tacito distinguit. Cum enim GUNDLINGIVS loco citato *expressum consensum dicat eum, qui signis receptis*

a) in *Via ad veritatem* eiusque parte tertia cap. X. §. XXI. p. m. 96.



potis, maxime verbis, declaratur, tacitum vero, qui ex facto notissima aliisque circumstantiis colligitur: palam est, eum per definitionem, quam exhibet, consensus praesumpti, nihil aliud dicere, quam posse etiam ex facto, quod b) appellat factum remotioris consequentiae, quodque utriusque vel alterutri supponitur vel plane vel aliquatenus incognitum, nihilominus tamen ad eius, cuius gratia fit, consensum concludi mediante ratiocinatione. Clarius rem extulit CANZIVS in Disciplinis Moralibus, ubi §. 353. Consensus, inquit, expressus declaratur verbis; tacitus, factis; praesumptus intelligitur ex alterius utilitate et aequitate. Sic enim explicatur, quae fit illa ratiocinatio, qua mediante ex facto, quod alteri haecenus vel absolute vel aliquo respectu est incognitum, ad ipsius tamen consensum concludi potest. Quilibet nimirum praesumitur et suae utilitatis cupidus et aequitatis insimul studiosus. Quodcumque igitur in facto aliquo, cuius alterutrum ponimus haud plane gnarum, utilitatem in alterum redundantemprehendimus, et praeterea ipsam, ut in id consentiat, naturalem aequitatem postulare intelligimus, licet actu physico consentire haud possit, recte tamen eius consensum praesumimus.

S. V.

b) in Digestis suis L. II. T. XIV. §. XLVIII.



§. V.

Ex his vero facile intelligitur, qui factum sit, ut consensus praesumptus cum tacito a pluribus confunderetur, licet hae consensus species a se invicem maxime sint diversae. Cum enim consensus tacitus aequae ac praesumptus non solum ex factis petatur, sed etiam per aliquam ratiocinationem ex illis colligatur, incautius nonnulli alterum cum altero confuderunt. Quod accidisse etiam videmus **PURFENDORFFIO**, qui c) nonnullos Quasi-Contractus, qui consensu praesumpto **ICTORUM** Rom. sententia nituntur, ex conventionione tacita derivat. Quantum autem consensus praesumptus a tacito, non obstante ista inter eos convenientia, differat, pluribus exponit **THOMASIVS** d) quae licet lectu sint dignissima, huc tamen transcribere instituti nostri brevitatis vetat. Praecipua vero differentia, quae tamen nec ipsi **THOMASIO** notata est, in eo consistit, quod factum, ex quo ad consensum alterius tacitum concludimus, non tantum eidem cognitum, sed et ita debeat esse comparatum; ut palam sit, eum id destinato consilio admisisse; quae omnia

c) *in Iure Naturae et Gentium* L. III. C. 6.
§. 6.

d) *in Institut. Jurisprud. divinas* L. II. C. VII.
§. 24-32.



in consensu praesumpto, ubi factum nec ab eo, qui sic consentire dicitur, semper pendet, nec utrique vel alterutri plene ponitur cognitum, secus se habent. Tacitus igitur consensus non minus ac expressus pro vero imo pro declarato haberi debet, quod certe de praesumpto nulla dici ratione potest, qui eapropter etiam ICTIS fictus dicitur; quamobrem quoque HEINECCIUS eundem definit per eum, qui a Legislatore fingitur intercessisse ob aequitatem, quum intercesserit nunquam. Quae cum ita sint, non video, cur CANZIVM male habeat, quod hic consensus a ICTIS fictus dicatur. Egregie quidem e) monet, in moralibus non tam physicam, quam potius moralem rei existentiam spectandam esse, quod nisi fiat, actum fore de omnibus iuribus, quibus certe physica existentia tribui non potest; et apparere etiam ex eo, quod physica veritas maioris non sit, quam moralis, quoniam et Deus et homines personam, quae quod serio iurans agit, etsi voluntatem iurandi non habeat, pro volente iusiurandum tractent. Quae omnia, uti diximus, prorsus egregie monentur, sed nostra tenui sententia, quaestionem, utrum consensus praesumptus verus an fictus dicendus sit, prorsus non tangunt. Quando enim sermo est de consensu hominis, qui

e) in *Discipl. Moral.* §. 354. *seqq.*



qui existit physice, physica sine dubio etiam huius consensus existentia requiritur, quae si abfuerit et tamen consensus eidem tribuatur, is quidem moraliter existere, sed tamen simul in oppositione ad consensum verum eumque physicum fictus dici poterit. Iura quidam in se nunquam habent existentiam physicam, sed ea, quae ex lege derivari non possunt, atque solo hominis alicuius consensu libero nituntur, ea inquam, haud dubie fundamentum debent habere physicum; quo cum destitui viderent Icti Romani ea iura, quae in Quasi-contractibus concipiuntur, per fictionem iis succurrendum esse putarunt, dum nimirum, consensum alterius, qui vere et physice haud existebat, nihilominus ponendum esse decernerent. Id quod clarius fiet ex iis, quae iam dicturi sumus de ratione, qua permoti consensum praesumptum in suum Iuris Civilis systema cooptarunt Icti Romani. Id unicum addimus, ipsum quoque CANZIVM agnovisse, aliquo respectu consensum praesumptum recte dici fictum, quod patet ex §. 2321. *Discip. Mor.*

§. VI.

Videbimur forte haud paucis temerario ausu nimis nobis arrogare, quando in quaestionem Iurisprudentiae Civili propriam

priam inquirimus, qui eandem vix a limine salutavimus. Confidimus autem, fore, ut aequi rerum arbitri facile nobis veniam sint largituri, cum haec quaestio et in praesentis thematis tractatione necessario sit excutienda, et, nostra quidem opinione, absque intimiori Iuris Civilis cognitione resolvi possit. Dabimus igitur nostra qualiacumque cogitata, et ea prudentiorum inque hoc studiorum genere magis versatorum virorum iudicio permittemus. Sic vero opinamur ratiocinatos fuisse veteres Ictos Romanos. Omnis obligatio, quae alicui imposita concipitur, vel derivanda est ex lege, vel ex facto ipsius est deducenda. Etenim praeter Legislatorem nemo cuiquam potest imponere obligationem, nisi sponte sua eandem subire velit. Posterius si fiat, de consensu ipsius constare debet, qui ea propter vel verbis, aut iis quae verborum vice funguntur, vel factis declarari debet. Proinde ubi nec ex lege nec ex consensu alterius declarato obligatio ipsi imposita concipitur, ibi nec obligationi locus esse potest. Quae ratiocinationes, cum et rectissime se habeant, et ipsius Iurisprudentiae Universalis placitis sint conformes, non tantum absque iniuria Rom. Ictis tribui possunt, sed forsitan etiam ex veritate historica, licet monumentis destituamur, recte tribuuntur. lam



Iam progrediamur ulterius. Ponamus post Leges XII. Tabb. latas aliquem instituere voluisse adversus alterum actionem, quae iam dicitur actio negotiorum gestorum contraria, quod nimirum rem alterius absque eius mandato, cum ipse haud potuerit, et ipso etiam inscio, utiliter gessisset, is vero impensas in rem suam factas refundere detrectet. Ponamus porro Praetorem vel iudices, quibus hanc causam demandarit Praetor, deliberasse, utrum haec actio sit concedenda? Nonne sic secum rationes inire debebant? Omnis actio id involvit, ut, posita facti veritate, alteri, adversus quem instituitur actio, imposita censeretur obligatio ad praestandum id, cuius gratia instituitur. Omnis autem obligatio oritur vel ex Lege, vel ex declarato consensu eius, qui obligatus dicitur. Iam vero posita etiam facti huius veritate, alterum nimirum alterius negotia utiliter gessisse, non tamen apparet, ei, cuius negotia gesta sunt, obligationem inesse, cum nec leges XII. Tabb. eandem ei imponant, utpote in quibus nihil eiusmodi extat, ita ut sic neutiquam ex maleficio teneatur, nec consensus aliquis eius adsit, quin nec ob facti ignorantiam adesse possit, ex quo intelligeretur, eum hanc obligationem sponte in se recipisse. Ergone actio erit deneganda? Ita putem in simili casu Ictos Rom. secum ratiocinatos fuisse.

Cum

Cum autem probe perspicerent, ipsam aequitatem naturalem poscere, ut negotiorum gestori satisfiat, neque tamen viderent, qua ratione iudex salvis principiis auxilium ferre possit, de remedio hujc incommodo tollendo cogitare coeperunt. Leges ipsi ferre haud poterant, neque facultate gaudebant, alterius consensum ex officio quasi supplendi, utpote quae eadem est cum potestate leges ferendi; et tamen ex alterutro hoc fonte deduci debebat obligatio, si qua alteri inesse statuenda erat. Nihil iam supererat, quam ut ad fictionem confugerent, quibus semper plurimum et fortassis etiam nonnumquam praeter necessitatem indulgisse Ictos Rom. vix ac ne vix quidem negari poterit. Hac vero ratione consensus praesumptus, nostra quidem opinione, in Ius Romanum introductus est. Ex quo clarum est, defectum Legum civilium, in quibus nihil de eiusmodi actionibus, quibus tertius quoque obligari posset, definitum erat, huicce fictioni potissimum natales suos dedisse, cum dubitari haud possit, quodsi Leges XII. Tabb. quicquam de eiusmodi actibus praecepissent, Ictos Rom. nunquam ad eandem delapsuros fuisset. Etenim, posita dispositione Legis, superfluum utique est, ad consensum eiusdem recurrere, qui obligatur, cum Le-

I

gisla-



gislatoris potestas neququam a subdito-
rum voluntate pendeat.

§. VII.

Assumpto in Jurisprudentiam Civilem
consensu praesumpto Quasi-contractus ex
eo enati sunt; qui nomen acceperunt ex
analogia, quam inter ipsos et veri nomi-
nis Contractus observare licet. Quemad-
modum enim hi ex consensu vero eoque
declarato, vel expresso vel tacito, ori-
untur: ita Quasi-contractus consensu prae-
sumpto sive ficto nituntur. Quod egregie
ostendit GVNDLINGIVS, qui f) *Quasi-con-*
tractus, inquit, Romani ita appellarunt, quia
non sunt veri, hoc est, expressi, sed per bonae
consecutionis speciem illati, aut quadantenus
explicati. Ictis Stoicorum more suum QVASI
seu ~~dicunt~~ semper opposuere VERO. g) Defini-
untur autem Quasi-Contractus, ut alias
aliorum definitiones missas faciamus, ex
mente summi Icti VLRICI HVBERI h) per
facta honesta, ex quibus (id est quorum oc-
casione) sine conventionione nascitur obligatio
propter

f) in Digestis L. II. Tit. XIV. de pactis
§. XLVII.

g) Plutarchus de solertia Animalium. Noods
de Vusufructu p. 589.

h) ad tit. Inst. de obligat. quae quasi ex con-
tractu oriuntur.



propter aequitatem, quam definitionem explicat THOMASIVS i) et suam fere facit. CANZIVS in *Discip. Moral.* §. 2321. ubi Quasi-Contractus itidem definit per *factum bonestum, quo et ignorantes obligantur ex consensu ob aequitatem vel utilitatem praesumpto*. Licet enim prior definitio nullam consensus praesumpti mentionem faciat expressam, idem tamen, quod posterior, implicite continet. Quod explicatio THOMASII egregiae confirmat, qui *l. c. §. 131. seqq.* ita ratiocinatur: *Causa ergo proxima, in quasi-contractibus obligationem inducens, non est factum ipsum, sed hoc potius est saltem causa, sine qua non — nec etiam consensus tacitus — sed consensus a Iure praesumptus seu fictus, vel accuratius loquendo ius ipsum naturale seu naturalis aequitas iure civili corroborata, unde poterit ad obligationem realem immediate ex lege venientem referri*. Quae cum per se sint elara, et omnes, quotquot dantur, quasi-contractus ex praesumpto consensu enatos esse tam manifeste ostendant, ut eius rei assertio nulla omnino nostra ulteriori vel explicatione vel probatione indigeat: nil superest, quam ut diversas Quasi-Contractuum species a Iure Rom. receptas paucis indicemus. IVSTINIANVS Imperator in Institutionibus *Tit. de Oblig.*

I 2

quae

i) in *Philosoph. Iuris de Oblig. et Actionibus* §. 128, seqq. quae inter *Dissertationes ipsius Iurid. Lipsenses est tertia.*



quae quasi ex contractu oriuntur, sex Quasi-Contractuum classes recenset, negotiorum gestionem, tutelae administrationem, hereditatis aditionem, indebiti solutionem, et rei singularis atque hereditatis communio- nem; quae recensio licet sit plenior ea, quae occurrit L. 5. ff. de O. et A., tan- tum tamen abest, ut omnes eorum spe- cies sistat, ut forsan impossibile sit, omnes enarrare. Singulare tamen quid hac in re praestitisse videtur GRASS, qui 1) omnes quasi-contractuum classes ad qua- tuor capita, quorum duo tamen postero- ra veros forsitan contractus ex consensu tacito oriundos sistunt, reduxit, quae se- quentibus verbis exponit: *Quatuor, nec plura, facta generalia admittenda, a Iure no- tata, et habilia ad formationem quasi-con- tractus; I.) Factum gestionis negotiorum alie- norum sive vivi sive mortui. e. g. negotiorum gestio, tutela, commutio hereditatis, commu- nio rerum singularium, confusio finium, funeratio. II.) Factum acquisitionis rerum seu defuncti ab eodem relictarum sub onere legati exsolvendi, seu viventium vel cum causa vel sine causa. III.) Factum professionis navis, couponae, sta- buli rel. IV.) Factum litis contestationis.*

§. VIII.

1) in *Thesib. Iurid. Inaugural. Miscell. Tubin- gae* ed. 1720. *thes. VIII.*



§. VIII.

Cum vero ex iis, quae hactenus exposuimus, sufficienter constet, quae sit natura consensus praesumpti, unde suos repetat natales, et quam ob rationem in Iuris Civilis Romani systema fuerit adoptatus, quaeque sint ea, quae Icti Romani eidem superstruxerint: iam ulterius nobis progredi licet. Superest nimirum, ut ostendamus quoque, quam ob causam et a quibus in Iurisprudentiam naturalem cum Quasi-contractibus sit introductus, et rationibus, quae in utramque partem allegari possent, utrum recte hoc factum sit nec ne? ponderatis, nostram quoque sententiam proponamus. Et quod primum quidem adinet, omnium quoque primo loco notamus, nec GROTIUM, nec PUFENDORFFIUM, summos illos Duumviros, quorum opera Ius naturae ordine systematico tradi coepit, nihil quicquam vel de consensu praesumpto vel de Quasi-Contractibus suis doctrinis intexuisse, quin illum potius disertis verbis negasse, quasi-contractibus in Iure naturali locum esse concedendum, cum *m*) dicat: *Negotiorum gestorum actio ex lege civili nascitur: nullum enim habet eorum fundamentorum, ex quibus natura obligationem inducit. Nos autem id,*

I 3

quod

m) in opere de Iure Belli ac Pacis L. II,

§. IX. n. 1.



quod naturale est, hic quaerimus. In eandem sententiam pronunciat frater ipsius GUILIELMVS GROTIUS n) *Constat igitur, inquiens, hos Quasi-Contractus non produci a naturali iure, cum quia consensum pro fundamento non habent, et variis iuris civilis fictionibus insuntur, tum quia tota eorum virtus versatur in actionibus, quas pariunt. — Omnes autem actiones sunt iuris civilis. Idem dicendum est de aliis Duumviris, qui GROTIUM atque PUFENDORFFIUM secuti sunt, quorumque iudicio eo maius tribuendum est pondus, quo certius est, eos non minorem ex Iuris Civilis quam ex Naturalis Iuris cognitione et illustratione nominis celebritatem sibi comparasse. Quod dum dico GUNDLINGIUM designo et TITIUM, utrumque eximium Ictum et Iuris praeterea naturalis apprime gnarum; quorum is a) sic loquitur: *Quasi-contractus vero Romanorum esse commentum, inde elucet, quod ne unus inveniatur, qui vel non ex vero consensu vel collata aliqua utilitate resultet. Unde res omnis partim ex praeepta de non laedendis aliis, partim ex altero de non violandis promissis sive expressis sive tacitis videtur diiudicanda; hic autem p)**

n) in *Enchiridia de Principiis Iuris natur.*
C. XVI. §. 12.

o) in *Via ad Veritatem Part. III. C. XXII.*
§. L.

p) in *Observationibus in Compendium Iuris*
Lauterbach. Obs. LVII. n. 5.



sequentem in modum differit: *Carere possumus quasi-contractibus, quia in omnibus casibus, ubi hi afferuntur, obligatio vel ex consensu tacito descendit, vel lege positiva aut aequitate sine praevio consensu constituitur.* Atque ita idem de consensu praesumpto iudicat q) nullam esse eius vel necessitatem vel utilitatem, sed Rom. Ictos eum saltem finxisse, quo obligationem inde repeterent, cum tamen sine ullo consensu praevio ex absolutis socialitatis decretis illa asseri queat. Praeter hos vero complures alios excitare possemus, qui consensum praesumptum, et, qui eo nituntur, quasi-contractus in Ius naturae haud inferendos esse sciverunt. Sed cum id potius agamus, ut eorum, qui id fieri et posse et debere statuerunt, recensum demus, rationesque eorum proponamus, quam ut qui secus senserint allegemus, non ulterius nobis excurrendum esse putamus. Interim tamen ex haecenus dictis nonnulla nobis licet colligere, quae ad ipsum hoc institutum apprime faciunt. Primum enim ex iis patet, haud statim ab initio, ac Ius Naturae in Systema redigi coepit, factum esse, ut consensus praesumptus cum quasi-contractibus in illud admitteretur; deinde clarum quoque est, doctissimos hos viros non sine gravibus omnino rationibus ei-

I 4

dem

q) in *Notis ad Puf. de O. H. et C. Lib. I. Cap. IX. §. 9.*



dem aditum in hanc disciplinam praec-
clusisse.

§. IX.

Quodsi iam dicendum est, quis pri-
mus consensum praesumptum in Ius Natu-
rae introduxerit, haud dubie is quidem
videtur fuisse CHRISTIAN. THOMASIVS.
Ante ipsum enim, qui consensui praesum-
to in Iur. Natur. concederet locum, quan-
tum quidem ego scio, fuit nullus. Ipsi vero
id tribui debere, nemo forsan dubitari
posse credet, qui r) ita ipsum differere no-
vit: *Non tamen putabis, distinctionem haec-
tenus ostensam (videlicet inter consensum ta-
citurum et praesumptum) solum in iure Rom.
habere locum, haec tenus enim spectaret saltem ad
iurisprudenciam humanam. Exeret quippe in Iu-
risprudencia divina se passim eiusdem usus, po-
tissimum infra, cum de officiis liberorum erga
parentes dispiciemus.* Quamvis vero haec
verba id ipsum clarissime inferre videan-
tur, nulli tamen dubitamus, summa cum
fiducia asseverare, alienissimum fuisse THO-
MASIVM ab eorum sententia, qui consensu
praesumpto in Iure Nat. utendum esse pu-
tant. Quod ut clarius fiat, THOMASIVM
ex ipso THOMASIO explicabimus: Dixerat
huius distinctionis usum se in Iur. Nat. ex-
erere

r) in *Iurisprud. div. Institut. L. II. C. VII.*

§. 33.

erere passim et maxime in doctrina de officiis liberorum erga parentes. Ad vocem *passim* provocat ad *Cap. X. §. 87. seq. 94. sq.* quo in loco, de origine domini differens, obiectioni obviam it, quando dicitur posita primaeva facultate hominum in res, non posse intelligi, quomodo nudus actus corporalis, qualis est occupatio, caeterorum facultati praeiudicare possit, nisi ipsorum consensus accedat, id est, nisi pactum interveniat, ad quam respondet, actum physicum proprietatem non introducere, sed legem socialitatis mediante hoc actu; ad quae postmodum addit: *deinde qui hac obiectione utuntur, haud dubie pactum pro fonte omnis obligationis agnoscunt. At nos supra legem supposuimus, quae saepe sine pacto, sine hac nunquam pactum obligationem infert. Quodsi tamen pacti taciti voce tam late. uti velis, ut sub se comprehendat pactum praesumptum, lis magis circa verba erit, quam rem ipsam. Quippe supra demonstravimus, pactum hac praesumptum esse conventionem improprie dictam. Eadem ratione L. III. C. IV. §. II. 12. de Officiis Parentum et liberorum praecipiens, cum de iis loquitur, qui fundamentum iuris patrii quaerunt in pacto tacito infantum, illi inquit, aperte satis loco consensus taciti suppeditant consensum praesumptum, quem a tacito multis modis differre ostendimus; quos inter et iste erat, quod consensus praesumptus non sit proprie dicti consensus*



sensus species. Ex quibus oppido planum est, nullum alium verbis eius supra allegatis esse posse sensum, quam exerere illam distinctionem aliquem quoque usum in ipso Iure Natur. nequiquam vero in stabiliendis eius principiis, sed potius in refellendis iis, qui ex principiis spurcis ratio- cinantur. Neque profecto poterat nisi si- bimet ipsi contradicendo aliud quid statu- ere THOMASIVS, cum verba eius a nobis supra §. VII. citata satis ostendant, eum obligationem, quae communiter a consen- su praesumpto derivatur, ad realem referre, quae immediate ex lege venit. De hac vero in allegata dissertatione quam philo- soph. Iuris de Oblig. et Act. inscripsit, §. 65. pronunciarat: *Obligatio realis, quae imme- diate ex lege absque meo facto provenit, est duplex, vel negativa, ut alterum in usu iuris sui eiusque prosecutione non impediam, vel po- sitiva, ut lucrum, quod citra factum meum cum damno alterius sentio, ipsi restituam.* Iam quis non videt, posita hac obligatione reali positiva omnem, quae a consensu praesumpto derivatur, prorsus reddi inutilem et su- perfluum? Quae enim lex praecipit, iis certe a nostro consensu non demum ne- cesse est ut robur accedat atque firma- mentum.

§. X.

Sed ne nimis a tramite deflectamus, dicendum erit aliquando, cui potissimum consensus praesumpti et Quasi-contractuum in Ius Naturae introductio sit tribuenda. Eam vero maxime adscribendam esse WOLFFIO, qui caeteroquim multis iisque nobilissimis inventis philosophiam nostris locupletavit temporibus, et suo iure summi Philosophi nomen consecutus est, vix est cur ambigamus. Licet enim forsam iam ante ipsum aliis id tentantum fuerit, quod nos quidem ignoramus: nemo tamen facile negabit, huius potissimum viri auctoritate factum esse, ut post eum omnes fere hanc rationem tenerent. Quapropter nec necessarium ducimus, praeter eum plures allegare, cum ipse unus omnino instar omnium sit habendus. Neque etiam opus erit, ut mentem ipsius testimoniis ex omnibus eius scriptis undique conquisitis declaremus, cum in vastissimo opere, cui titulum fecit. *Ius Naturae methodo scientifica pertractatum*, et in cuius parte quinta doctrinae de Quasi-contractibus exponendae ultra centum impendit paragraphos, omnia procul dubio occurrant, quae ad eam recte intelligendam aliqua ratione facere possunt. Videamus igitur, quibus rationibus permotus, consensui praesumpto et inde fluentibus Quasi-contractibus in Iure
Na-




Naturae locum concesserit. Id vero docere nos potest §. 511. l. c. utpote in quo quaestionem resolvit: *an Quasi-contractus sint iuris naturalis?* Quod ut faciat, hanc propositionem sibi demonstrandam sumit: *Quasi-contractus sunt iuris naturalis, quatenus eodem iure ad inducendam obligationem perfectam requiritur consensus obligandi, expressus autem haberi nequit.* Dabimus ipsam demonstrationem, quae ita habet: *Etenim si quis alteri naturaliter perfecte obligatus non est, necesse est, ut alteri sese obliget perfecte consensu suo.* Quodsi ergo consensus expressus haberi nequeat, aut impossibile erit, ut alterum tibi perfecte obliges, aut consensus alterius praesumendus. Quodsi igitur e re alterius sit, ut te ipsi et alterum tibi perfecte obliges, veluti inter vos contractum revera fuisset, necesse omnino est, ut consensus alterius praesumatur. Quamobrem, cum Quasi contractus sit, si consensu alterius praesumpto inducitur obligatio, Quasi-contractus iuris naturalis est, quatenus eodem iure ad inducendam obligationem perfectam requiritur consensus alterius, expressus autem haberi nequit. Quae ratiocinia in nota huic §pho adiecta uberius exponit WOLFFIVS, qui praeterea asserit, emergere omnino casus, in quibus aequum sit, ut obligatio naturaliter imperfecta in perfectam convertatur, atque tum cum consensus expressus haberi nequeat, ad praesumptum esse confugiendum, qui omnino hoc

hoc in casu iuri nat. convenire statuendus sit; imo ipsos ICTos, qui obligari aliquem ob factum suum quasi ex contractu propter aequitatem dicunt, agnoscere, eum Iuri Nat. convenire, cum, quod aequitati conveniat, ipsi etiam Iuri Nat. conveniat; et frustra obiici, in iure Naturae obligationem nasci ex facto ipso, et consequenter opus haud esse, ut demum fingatur conventio aliqua intervenisse, quemlibet enim, qui obligationem istam demonstrare voluerit, quam fallatur, facile esse sensurum. Atque haec quidem sunt omnia, quae acutissimus Philosophus pro stabilienda sententia sua attulit in medium.

§. XI.

Proposuimus iam omnia, quae in utramque partem dici possunt. Exhibuimus enim §. VIII. et IX. rationes eorum, qui consensum praesumptum ex Iur. Nat. proscribendum putant. Antecedens vero **S**hus ea nobis sistit, quae contrarium suadere videntur. Superest, ut alterutri parti accedamus, et quae obstant removeamus. Verum enim vero, quae hactenus disputavimus haud obscure ostendunt, alieniores nos esse debere ab illustris **WOLFFII** sententia, licet tanta sit tanti Viri apud nos auctoritas; ut nisi de veritate convicti essemus, aliorumque sum-

morum



morum virorum praesidium animum nobis
 adderet, adversus eum insurgere vix au-
 deremus. Quum itaque diluenda sint ea,
 quibus WOLFFIVS probatum ivit, Quasi-
 contractus esse iuris naturalis, ea quidem
 primo generatim impugnabimus, ad sin-
 gula postmodum quoque responsuri. Li-
 ceat nobis opponere sequentem in modum:
 Aut consensus praesumptus, dum obliga-
 tionem naturaliter imperfectam convertere
 statuitur in perfectam, hanc suam vim ac-
 cipit a praecepto legis naturae, aut non.
 Si prius, ipsum hoc praeceptum iuris
 naturae pariet hanc obligationis μεταμορ-
 φωσιν, vel potius obligatio illa licet vide-
 atur imperfecta, reapse tamen naturaliter
 erit perfecta; adeoque prorsus superfluum
 foret, cum ea adstruenda demum ad con-
 sensum praesumptum recurrere. Si poste-
 rius, nulla est ratio sufficiens, ex qua in-
 telligi possit, cur merae alicui fictioni
 mentis tribuenda sit vis obligandi; neque
 enim, nisi eam ex praecepto legis naturae
 repetat, aliunde inesse ipsi ulla potest.
 Nobis quidem non licet esse adeo perspicua-
 cibus, ut videamus, quomodo hoc dilem-
 ma vel infringi vel everti possit. Ut vero
 id adhuc clarius evadat, speciatim quoque
 demonstrationem Wolfianam sub examen
 vocabimus. Et primo quidem statim in-
 currit in oculos, thesin: *Quasi-contractus*
esse iuris naturalis, non absolute, sed sub
duplici



duplici hypothefi adstrui, altera, *tus naturae ad inducendam obligationem perfectam requirere consensum obligandi*, altera, *quod consensus expressus haberi nequeat*. Quid si universalitatem primae hypotheseos negaremus? Nonne sic tota demonstratio corrueret? Atqui vero omnino negari potest. Quis enim nescit, posse in aliquem, qui mihi antecederet naturaliter obligatus non est, perfectam obligationem induci solo facto ipsius, absque consensu; imo quantumvis etiam dissentiat? Etenim qui me laedit, ante laesionem mihi obligatus haud erat; dum vero me laedit solo facto ipsius obligatio perfecta in ipsum inducitur ad damni dati reparationem, licet in eam consentire prorsus nolit. Forsitan eadem ratione fieri posset, ut, ex Legis naturae praeepto, meo facto alteri, qui mihi antecederet obligatus haud erat, perfecta imponatur obligatio absque omni eius consensu. Quod licet iam argumentis adstruere haud velim, id tamen fieri non posse demonstrandum erat WOLFFIO, ut sua hypothefi ipsius constaret veritas, et sic principii petitio evitaretur. Sed ne nimis sumus prolixi, quae adhuc dicenda sunt, in nervum contrahemus. In ipsa demonstratione dicit, si consensus expressus haberi nequeat, aut impossibile esse, ut alter mihi obligetur, aut consensum eius esse praesumendum. Recte haec dicuntur, sed quid obstat,



stat, quo minus statuamus, impossibile esse, ut deficiente consensu expresso alter nobis perfecte obligetur? Respondet WOLFFIVS esse e re alterius, ut nobis eum, nosque ipsi vicissim obligemus perfecte. Sed quid si nihilominus nolit? Anne igitur nemo commodis suis renunciare potest? Quid si postmodum in id tantum consentiat, quod e re sua est, neque praeter hoc in quitquam aliud; nec concedere velit, consensum suum aliter praesumi debuisse? Quid si is, cuius e. g. negotia utiliter gesta sunt, ea quidem in acceptis referat, impensas vero restituere detrectet? Adde, quod nec omnes quasi-contractus circa commodum obligandi versentur, ut v. c. solutio indebiti. Optime quidem in nota addit WOLFFIVS, esse casus, in quibus *aequum* sit, ut obligatio naturaliter imperfecta in perfectam convertatur, sed male inde concludit, tunc ad consensum praesumptum esse recurrendum. Ipsa enim illa *aequitas* naturalis, quae in eiusmodi casibus id postulat, obligationem extra illos casus imperfectam in illis convertit in perfectam, ita ut nulla consensus praesumptione indigeat; neque aliud quid per *aequitatem* naturalem intellexerunt ICI ROM. quam ipsum Ius Nat. a quo obligationem istam perfectam imponi existimarunt. Ultimo loco causae suae praesidium quaerit WOLFFIVS in eo, quod obligatio illa per-

perfecta ex lege naturae derivanda demon-
 strari haud possit. Quodsi vero id etiam
 concesserimus ipsi, nihil tamen lucrabitur,
 cum nihil inde sequatur, quam quod quasi
 contractus neque sub eo schemate, quo
 a consensu praesumpto deducuntur, ad Ius
 Nat. pertineant, neque ut officia hypothe-
 tica a iure Nat. perfecta obligatione in-
 iuncta considerari debeant. Sed praeterea
 haud forte adeo difficile erit demonstratu,
 in iis casibus, in quibus communiter quasi-
 contractus obtinere dicuntur, ab ipso iure
 naturae perfectam imponi obligationem.
 Ipsa enim vulgatissima illa regula ICto-
 rum: neminem cum damno alterius de-
 bere fieri velle locupletiores, cuique
 omnes quasi-contractus ex ipsorum inter-
 pretatione innituntur, quid aliud est, quam
 consuetudinem longe manifestissimum legis
 naturalis absolutae: neminem esse laeden-
 dum? Verum nostri instituti haud est, id
 pluribus ostendere, cum quaestio nobis
 haud sit, utrum et quid Ius Nat. de iis
 actibus praecipiat, qui quasi-contractus
 vulgo audiunt? cuius quippe resolutio po-
 stulareret, ut de singulis eorum speciebus
 peculiariter disquireretur, quod praesentis
 tractationis limites nimis omnino excede-
 ret; sed id tantum agendum suscepimus,
 ut investigaremus, utrum consensus prae-
 sumtus et quasi-contractus sub ipso sche-

K

mate



mate quasi - contractuum considerati in Iuris Naturae systema introduci debeant.

§. XII.

Putamus autem iam fatis evictum esse, incongrue prorsus et admodum absone consensui praesumpto cum Quasi - contractibus in Iure Nat. locum concedi. Ostendimus §. VI. Legum civilium defectui suam potissimum originem debere consensum praesumptum. Quis igitur tulerit eundem in lege, quae nullius defectus capax est, quaeque de omnibus actibus, quibuscunque etiam circumstantiis vestitis, sapientissime praecipit? Demonstravimus §. V. hunc consensum esse fictum. Qui vero Ius Nat. fictionibus sustentari debere existimat, is profecto admodum contumeliose de eo sentiat oportet. Probavimus ipsam fictionem, quae inest consensui praesumpto, omnem suam vim et virtutem mutuari ab aequitate naturali. Quid igitur potest esse magis absurdum, quam adferere, id, quod ipsi omnem vim tribuit, vicissim eius ope indigere? Sed quem in finem haec a nobis disputata sunt? Quem usum ferunt? Ita forsitan erit, qui exquirat, quique obiiciat, omnem hanc nostram operam circa meram subtilitatem occupari. Denegas, inquis, quasi - contractibus sub hoc schematismo confi-



consideratis in Iure Nat. locum; eundem tamen iisdem alio nomine in eo concedis. Quid hoc est aliud, quam nodum in scirpo quaerere, et inanibus quaestiunculis, quae magni quid crepant, lectoribus illudere? Sed tu, qui ita tecum cogitas, permitte quaeso, ut pace tua paucissima regeram. Verum est, quae heic tradidimus, methodum potius respicere, quam ipsam veritatem. Ergone methodus tibi res nihili videtur, quae nostra aetate pluris habita est quam ipsa veritas? Sed absit iocus; dabimus ioco. feria. Seculum, quod vivimus, mirabili sua arte, quam horrido vocabulo *universalificationem* vocant, adeo et in iurisprudencia Naturae maxime luxuriatur, ut propemodum iam omnia Ictorum, Civilistarum, Publicistarum, Feudistarum, Canonistarum, et quorum non praeterea? serinia sint expilata, e quibus omnia, quae convasari potuerunt, velut opima spolia in Ius Nat. fuerunt illata. Coepi metuere, ne, quemadmodum ante hos circiter centum annos Iurisprudenciam naturalem vix norat Germania nostra, ita eandem, dum tot disciplinarum praedam veheret, sub plaustris iterum amitteret. Vti igitur patriae non minus quam disciplinae meae, sed in sua puritate et facie non fucata, sum amantissimus: ita statim quoque iusto zelo abreptus de adscitio, quo dehonestatur, ornatu ipsi demendo



consilia mecum agitavi. Forte fortuna primus se mihi obtulit consensus praesumptus, quem statim expungendum duxi. Id enim dignitas Iurisprudentiae naturalis praepriis deponere videbatur. Continuabo conatus meos, si cordatis viris eos probabi resciero. Spero autem, fore, ut et alii in hac disciplina ad suam naturalem simplicitatem reducenda suas collaturi sint operas. Qui enim unus sufficeret, cum tot ex ea praeter ius et fas locupletanda ingenii gloriam aucupatos esse constet?

T A N T V M.



V.

DISSERT.

De genuino Fonte Iuris Vitae ac Necis.

Tubingae. m. Octobr. MDCCLVI.

§. I.

Quamquam cum Iura, quae ex Maestate fluunt, omnia, tum illud etiam quod summis Imperantibus in vitam civium competit, tam firmis a pluribus iam adstru-



structa et demonstrata sunt rationibus, ut dubium esse non possit, recte ea ex iuris naturalis dictamine summo civili imperio tribui: tamen haud superfluum forsitan navaturi sumus operam, quando in genuinum posterioris huius iuris, quod et Ius vitae ac necis dicitur, fontem data opera inquirimus, atque an rationes, quibus hactenus munita fuit haec doctrina, eiusmodi sint, ut nec fortiores nec propiores allegari possint, dispicimus. Ea namque veritatum singularium est indoles, ut non una ratione adstrui queant, sed pluribus saepe iisque admodum a se invicem diversis argumentis comprobari possint apodictice, cum pro diverso earum cum aliis veritatibus magis cognitis nexu iam ex hoc iam ex alio latere ad eas stabilendas pateat aditus. Neque etiam dici potest, perinde esse, qua via demonstratio procedat, dummodo nihil contineat vitii; cum in disciplinis maxime, quae seriem aliquam sive catenam veritatum inter se cognatarum et indivulso nexu unitarum nobis sistunt, haud sufficere videatur, ut de asserti alicuius veritate ex ipsius nexu cum alterius cuiusdam familiae veritatibus convincamur, sed praeterea quoque requiratur, ut de isto nexu, quem ipsa disciplina stabilire satagit, sufficienter constet. Quod ipsum manifesto est argumento non omnes rationes, quibus veritas



tas aliqua potest confirmari, licet nec singulis omnis denegari possit apodixis, eiusdem esse momenti, sed pro diversitate instituti alias esse remotiores, alias propiores. Ut vero, quae hactenus diximus, exemplis illustremus, eo minus videtur necessarium, quo evidentius ea ex tota hac nostra tractatione patebunt. Ita autem versabimur in hoc argumento, ut primo ex quibus fontibus alii hucusque Ius vitae ac necis derivarint, ostendamus, deinde vero nostrum de illis iudicium addamus, atque tandem fontem illius Iuris magis genuinum aperiamus, qui, licet hactenus passim neglectus fuisse videatur, nihilo minus tamen ita est comparatus, ut nulla alia ratione vel propius vel convenientius atque certius Ius vitae, et necis adstrui possit. Non vacat nobis ea, quae dicenda sunt, multiplici lectionis apparatu distinguere; dabimus tamen operam, ut ex iis, quae ad argumenti tractationem requiruntur primario, desideretur nihil.

§. II.

Ut vero perspicue exponamus, ex quo fonte deduxerint, et quibus argumentis firmaverint Ius vitae et necis summo Imperio competens plerique Iuris naturalis Doctorum, haud opus est, ut singulos excitemus, eorumque effata singulatim afferamus
in



in medium, quippe quod et prolixum nimis et taediosum foret, cum inter omnes fere conveniat. Unus itaque instar omnium nobis erit ROESLERVS, qui a) quaecunque huc pertinent, uno fasce collegit. Is vero statim in limine agnoscit, cum inter Philosophos recepta passim sit sententia, summam potestatem per pactum imperantibus deferri, non adeo liquidum videri, quomodo a civibus potestas in vitam suam, quam ne ipsi quidem habent, conferri possit. Sed statim addit, haec, quamcunque speciem habeant, eo tamen non valere, ut stante etiam philosophorum ista sententia Imperantes eximio hoc iure possint exuere. Quod ut probet, triplici argumento utitur. *Primo* enim ostendit fieri posse, et frequentissime fieri, ut quis consensu suo qualitates morales, quarum numero etiam ius in vitam censeatur, in altero producat, quas ipse tamen non habuerit formaliter, cuius rei exemplum allegat hoc, quod promissor in promissarium conferat ius a se exigendi promissum, quod in promissore antea fuisse nemo dixerit; inprimis vero per consociationem multorum oriri posse qualitatem aliquam moralem, quae tamen in singulis non fuerit,

K 4

erit,

a) in *Dissertatione de Iure summorum imperantium in vitam Civium, Tubingae a. MDCCXIV. edita.*



erit, quod PVFENDORFFIVS simili illustret, b) multorum scilicet voces invicem attemperatas harmoniam producere, quae tamen in singulis haud extiterit. *Secundo*, addit, licet nemo sit vitae suae dominus, facultate tamen gaudere homines, utpote non sibi solis natos, vitam suam pro aliis discrimini exponendi, ad id praestandum perfectam obligationem subeundi, arbitriumque eius exercendae in alium maxime eos, quibus securitatem suam praeprimis debent, conferendi; praeterea quoque quemlibet ius habere securitati suae consulendi, idque alteri dare posse, cum autem sine iure vitae exerceri nequeat, apparere, sic ius vitae simul non quidem immediate, sed mediante illo iure, concedi. *Tertia* denique ius illud summorum imperantium in vitam civium, quemadmodum ipsum summum imperium, cuius pars quaedam sit, auctorem habere ipsum DEVM dicit, qui uti societates civiles non modo approbarit, sed et tanquam institutum ad legis naturae maiorem observantiam et generis humani multiplicati salutem necessariam praeceperit; ita prima atque principalis sit causa maiestatis. Quicquid igitur haec civitates conferant, id a divina concessione, imo a divino praecepto ultimam suam habere originem.

§. III.

b) *de Iure Nat. et Gent. L. VII, C. III, §. 4.*

§. III.

Habemus hic summam eorum, quae pro adstruendo hoc Iure Maiestatico communiter adferri solent, quaeque cum a PUFENDORFFIO, tum ab aliis viris doctis passim fuerunt adhibita, et tantum abest, ut nihil hisce argumentis inesse roboris contendamus, ut potius facile largiamur, contentos nos iis esse posse, nisi propior quaedam via id demonstrandi suppeteret. Interim tamen negare haud possumus, haud contemnendis eas quoque premi difficultatibus, quas, antequam alium fontem, ex quo ius vitae et necis, uti quidem nobis videtur, propius et certius derivari potest, recludamus, modeste haec exponere omnino licebit, quamvis id neutiquam eo animo a nobis fiat, ut censuram aliquam in tantos viros nobis arroge- mus, sed ut tantum appareat, non absque ratione nos de alio Iure vitae ac necis demonstrandi modo fuisse sollicitos.

§. IV.

Ante omnia vero licebit observare, ROESLERVM non ire inficias, Ius vitae et necis ex eodem fonte deducendum esse ex quo tota Maiestas derivatur, cumque haec oriri dicatur ex delatione iurium,

K 5

quae



quae singulis competebant, in summum Imperantem facta, ut illud ius eodem fundamento nitatur, omnino requiri. Neque certe pronuciari potest aliter, cum manifestum sit, unde totum progignitur, inde progigni quoque debere singulas eius partes. Aut igitur falsum erat, totam Maiestatem per pactum Imperantibus deferri, aut hoc quoque ius ex eiusmodi delatione erat repetendum. At vero hic statim obversabatur argumentum in contrarium: Quod quis non habet, id alteri nec potest deferre. Iam vero nemo ius habet in vitam suam; ergo nec quisquam illud potest deferre in alterum. Ipsemet Vir Celeb. hoc dubium sibi movet, et tria illa argumenta, quae recensuimus §. II. nullum alium in finem protulit, quam ut thesin suam adstruendo simul huic difficultati occurreret. Manifestum enim est, primum argumentum eo tendere, ut maioris propositionis vis infringatur, secundum et tertium vero ad minorem, quam dicunt, propositionem destruendam adhiberi. Quod vero ad posterius duplici argumento utatur, inde fit, quia de Iure Imperantis in civium vitam generaliter agit, quod ipsum duplicis generis est, alterum indirectum, quo pro salute communi civium vitam ultimo exponere potest discrimini, alterum directum, quo in facinorosos et graviorum delictorum reos ultimo

timo



timo supplicio animadvertit, quod speciatim a nonnullis, quos nos sequimur, Ius vitae et necis, vel etiam Ius Gladii appellari solet. Quum igitur utrumque adstruendum erat, Ius illud indirectum per duos medios terminos secundi argumenti probare instituit; quod itaque, cum nobis de hoc iure sermo non sit, sicco pede praetereundum esse putamus. Si vero quis contenderit, alterum secundi argumenti medium terminum Ius in vitam directum quoque respicere, et eundem fere esse, quem nos in adstruendo hoc iure adhibemus, quæ propter nec omitti a nobis debuerit: facile quidem largimur, posse prius concedi, licet non eo fine adducatur, sed manifestum quoque est, et hoc nomine nihil circa eum monendum fuisse; quare praeteriri potuit eo magis in hoc nostro examine, quo plura a nobis ad eum evolvendum in sequentibus adferentur.

§. V.

Consideremus itaque paululum primum et tertium argumentum. Illo adferitur, fieri posse, ut aliquid in alterum defertur, etiamsi is qui illud defert, id antea ipse haud habuerit. Provocatur ad instantiam, *promissorem in promissarium conferre ius posse exigendi a se rem promissam, quod in promissore antea adfuisse nemo dixerit.* Stolidum



lidum omnino esset contendere, habere quem ius aliquid a se exigendi; cum enim nemo sibi aliquid debere dicatur, palam est, nec ius exigendi locum habere posse. Natura harum notionum id secum fert, ut in omni Iure vel obligatione binio personarum involvatur. Sed videamus, an haec instantia nodum solvat? Possum argumentari; Quod quis non habet, alteri deferre non potest; atqui vero nemo habet ius promissum a se exigendi, proinde nec hoc ius deferre potest alteri. At vero absurditas huius conclusionis statim incurrit in oculos. Quodsi vero ratiocinatus fuero, retenta eadem maiori propositione; Nemo habet ius in vitam suam, quapropter nec illud alteri potest deferre, ane eadem prodit absurditas? Ita quidem haud videtur. Sed quae est differentia? Maior propositio utrinque est eadem. Oportet itaque, ut ratio disparitatis pendeat a minore. Neque quisquam dubitare potest, diversissimas omnino esse has propositiones; nemo habet ius promissum a se exigendi, et, quae altera est: nemo ius habet in vitam suam. Quis enim non videt posteriorem propositionem nihil aliud dicere, quam facultatem nostram agendi per leges ita esse restrictam, ut potestas nobis non sit, vitam nobis abrumpendi, priorem autem hunc sensum prorsus non admittere? Qui enim



enim fieri posset, ut leges [nobis interdi-
cerent facultatem promissum a nobis exi-
gendi, quae cogitari non potest, cum ne-
mo quicquam sibi promittat? Prodit igitur
merus lusus in terminis et nescio, an
ex hac instantia praesidium quaeri possit,
ad convellendam, quae opponitur, ratioci-
nationem. Idem statuendum est de instan-
tia, qua PVFENDORFFIVS utitur, qui ad id
provocat, quod nemo possit sibi legem
dicere, cum tamen quilibet deferre alteri
possit facultatem sibi legem scribendi. Ea-
dem et hic observatur in dicendo ampli-
bolia. Interim tamen nequaquam negamus,
id quod potissimum intendit ROESLERVS,
ipsam, quam stabilivit, thesin per has in-
stantias confirmari: produci nempe in al-
tero posse qualitates morales consensu no-
stro, quas ipsi antea haud habuerimus
formaliter; neque urgemus, in casibus
illis, a quibus desumptae sunt hae instan-
tiae, materialiter illas tamen adfuisse,
quod an circa ius in vitam pariter ita se
habeat, dubium omnino videri. Facile
enim perspicitur, sic in quaestione nobis
deveniendum esse ad reliqua argumenta,
quae Vir celeb. certe non ea tantum ex-
patione, ut cumulum obtineret; adiecit.

§. VI.



§. VI.

Uti vero ad primum argumentum nonnulla monere potuimus: ita nec desunt, quae circa tertium annotentur. Possunt omnino sic rationes subduci, ut ab eo, quod societas civilis, institutum a Deo et approbatum et quodammodo etiam praeceptum, necessario requirit, ad divinam quoque concessionem concludatur. Recte se habet argumentatio: Sine quocunque salus societatis civilis a summis Imperantibus obtineri non potest, illud iisdem a Deo concessum quoque est, qui auctor est summi imperii. Atqui vero sine iure vitae, et necis obtineri non potest; quapropter eius concessio divina legitime infertur. Quamvis enim nonnullis minor propositio adhuc dubia videri posset, qui vel ergastula et perpetuos carceres, vel alias graviores poenas corporis afflictivas sufficere putent ad salutem reipublicae factam testamentamque conservandam: nos tamen facile huic argumento subscribimus, sed id tamen dissimulare non possumus, nondum inde constare, quomodo hoc ius per delationem a civibus in summos imperantes transire dici possit. Aliud enim est concedi a Deo; aliud vero, deferri a civibus. Nihil quidem potest ab hominibus deferri in homines, nisi concedente Deo; sed multa possunt concedi a Deo absque
 ulla



ulla concurrente hominum delatione. Prius itaque illud hoc posterius non videtur includere vel involvere, quod tamen in argumento supponitur, uti ex ultimis argumenti verbis apparet, quod ea propter, quia maiestatis prima atque principalis causa deus est, quicquid cives conferant, id a divina concessione ultimam suam originem habeat. Illa consequentia potest admitti, quod delatio iurium suorum in unum, quo homines in societatem civilem coeuntes summum imperantem sibi constituunt, ratio sit, ob quam Deus illi insuper Ius vitae et necis tribuat; quod vero ipsi quoque simul hoc Ius deferant, id profecto ex hoc argumento non videtur sequi. Hoc enim si statueretur, dici deberet Deus singulis hanc potestatem concedere, sed nullo alio consilio, quam ut eam in summum Imperantem statim iterum deferrent, quas ambages certe heic nemo nec quaeret, nec ferendas putabit. Quando itaque hoc argumento minor illius obiectionis propositio: *nemo Ius habet in vitam suam*, refellenda et contraria adstruenda erat, nescio an satis habeat roboris?

§. VII.

Conficitur autem ex haecenus dictis, argumenta, quibus ius hoc maiestaticum adferi



adferi fœvit, neutiquam esse reprehendenda, et satis demonstrare, ius illud summo imperio denegari haud posse, neutiquam vero eo respectu esse sufficientia, ut simul ex iis intelligatur, qua ratione hoc ius a civibus in Imperantem deferri queat. Nisi igitur alia praesto essent, agnoscendum ad minimum esset, prodere se hic hiatum in nexu veritatum, quas Iurisprudentiae naturalis disciplina in materia de Iuribus maiestaticis inter se coniunctas et concatenatas sistere debuisset, quique nexus ex bonae methodi legibus negligi non potest. Supplenda proinde haec est lacuna, quod commodissime fieri potest, quando ex alio fonte, eoque et propiore et magis genuino, Ius vitae et necis deducitur. Is vero se ipsum aperit, si ad Iura, quibus singuli homines in statu naturali gaudent, quaeque legi naturali conformiter exercent, recte attendamus. Fatemur, nullum iis inesse deprehendi Ius in vitam suam, sed negari tamen nequit fieri posse, ut in vitam alterius potestatem acquirant. Licet enim nemo iure gaudeat absoluto, alium quacunque ratione multo minus in vita laedendi, tamen, ubi quis nostram petit vitam vel et bona nostra invadit, ex conservatione nostri, a lege naturae iniuncta, ius nobis nasci cum vi et cum caede etiam repellendi, extra omne positum est dubium. Dantur itaque

casus



casus, ubi quis ius in vitam alterius consequitur, et cum illud ex conservationis nostri obligatione oriatur, ut omnibus hominibus competat omnino necesse est. Iam vero quo minus hoc ius deferri possit in alium eadem ratione, qua reliqua iura deferri solent, nihil est, quod obstet. Datur itaque via ius vitae et necis etiam ex delatione a civibus facta derivandi. Hac vero ratione summus imperans, dum ius vitae et necis exercet, non quidem eo utitur, tanquam sibi a plectendo delatum esset, sed potius personam invasi sustinet, qui ius se defendendi in ipsum contulit.

§. VIII.

Atque hanc sententiam suam quoque fecit CANZIVS, qui c) mentem suam sequentem in modum exponit: *Quam subditi potestatem in statu naturali viventes habent adversus aliorum, v. g. iniuste aggredientium, vitam: illam potestatem in statu civili summis deferunt imperantibus. Atqui illa potestas ipsam vitam aggressorum censetur in manu habere: ergo haec per statum civilem in imperantem collata. Omnium igitur civium iura quibus iniusto aggressori necem afferre possunt, in se*

trans-
c) in *Disciplinis Moral. Disc. II. Part. II. Cap. V. §. 1610.*

L



translata imperans exercet. Ergo pacis publicae violatores iure suo extremis afficit suppliciiis. Plura quidem alla Vir celeb. in eodem loco congerit argumenta ad adstruendum ius vitae ac necis, quorum tamen praeter hoc nullum legibus methodi adeo satisfacit.

§. IX.

Licet vero sic ea, quae nobis arrisit, via, tanti etiam viri auctoritate probetur, haud tamen hic unice subsistendum esse existimamus. Quum enim moderamen inculpatæ tutelæ tantum in ipso actu invasionis violentæ ius nobis concedat, aggressores cum caede etiam repellendi, qui certe casus non obtinet, quando summus imperans in delinquentes ultimo supplicio animadvertit; cum porro ipsum hoc ius nec in civitate singulis adimatur, aut in summum Imperantem transferatur, ubi ab eo succurri nobis non potest: apparet ex iure se cum nece aggressoris defendendi nondum sufficienter derivari posse ius vitae et necis, et aliud quid praeterea requiri, ut illud firmiter adstruatur.

§. X.

Dispiciamus igitur ulterius, quae porro sint illa iura, quibus homines in statu natu-



naturali praeditos dicimus. Affine autem est Iuri se et sua defendendi ius alterum, quo damni sibi dati restitutionem etiam per vim possunt exigere, quod et ius vindicandi, si termini depurentur, nec vindicta praecise pro actione sumatur, quae non tam reparationem damni debitam, quam ex dolore alterius voluptatem captat, quae CANZII est definitio d) recte dicitur. Tam arcta vero inter duo haec iura intercedit affinitas, ut hoc posterius nihil aliud sistat, quam prioris iuris consequentiam. Etenim qua ratione ex conservatione nobis iniuncta ius nanciscimur, nos et nostra defendendi, eadem etiam ex hoc officio fluere debet potestas, quae nobis adempta sunt repetendi et recuperandi, atque si damnum nobis illatum est, eius reparationem exigendi; et quemadmodum nos per vim defendere possumus: ita, si laedens reparationem a nobis petitam denegaverit, ius nobis esse debet, eam quoque violenter quaerendi. Praeterea vero ad hoc ius referri quoque debet facultas laedentem cogendi, ut praestita etiam damni dati restitutione insuper quoque de non amplius laedendo sufficienter nobis caveat, cum ius se conservandi, uti facultatem damni reparationem quaerendi tribuit, ita potestatem securitati suae

L 2

pro-

d) in *Disc. Mor.* §. 205.



prospiciendi non possit non conferre. Quae omnia ita sunt clara, ut a nemine vocari queant in dubium.

§. XI.

Non autem ita parum videtur, an ius damni dati reparationem exigendi vel suae securitati prospiciendi, eo usque se extendere possit, ut facultatem quoque inferat, eum, a quo laesi sumus, vita privandi? At vero, licet non adeo expedita esse videatur haec quaestio, nulli tamen dubitamus, quin recte affirmetur. Primum enim quod adinet, manifestum est, posse nos laedi in bonis, quae prorsus sunt irreparabilia, quibusque nullum statui potest pretium, quo soluto satisfactum nobis esse dici possit; qualia sunt coniugum, liberorum, parentum, propinquorum caedes malitiosa et dolosa, pudicitiae vel nostrae vel coniugis violatio, et quae eius generis sunt alia. Quae omnia ita sunt comparata, ut non minus clarum sit, reparationem et deberi et exigi iuste posse, quam quidem certum est, damna eiusmodi non nisi per mortem laedentis posse compensari. Qui enim dolo malo et destinato consilio alterum bono irreparabili privavit, is dignus omnino est, qui eandem iacturam sentiat, et nisi talioni locus sit, deli-



delictum suum vitae etiam amissione luat. Quod alterum vero concernit, ea saepe solet esse scelestissimorum hominum protervia, ut, licet ipsorum insultus vel pluries etiam depulsus sit, nunquam cessent, vitam nostram vel directe, vel dum bonis nostris inhiant, aut libertate nostra privare nos conantur, quae legitime adversus ipsos defendimus, indirecte petendi: quorum in numerum omnes ii sunt referendi, qui latrociniis orbem infestant, vel piraticam exercent seposita omni legum naturalium reverentia. Quis vero dixerit, licitum haud esse, imminentibus periculis summis occurrere, et, cum averruncari alia non possint ratione nisi per caedem, perniciosissimorum eiusmodi hominum, invasionem eorum prius esse expectandam, quam salutis nostrae consulere possimus? Quodsi vero id admitti non potest, patet, ius hoc omnibus hominibus potestatem quoque in vitam tribuere.

§. XII,

Quamquam vero haec ex rationibus, quas attulimus, ab ipsa rei natura desumptis satis intelliguntur et confirmantur; illustrationis tamen gratia nonnulla quoque adiciemus, quae sacro codex subministrat, quaeque apprimè faciunt ad sententiam nostram maiori luce collustrandam.



Huc vero pertinet lex a Deo populo Israelitico lata, qua Ius talionis, ubi damnum ab altero illatum erat, observari voluit, eamque non tantum ad membrorum iacturam restrinxit, sed et vitam pro vita fundendam esse pronuntiavit; qua de re plura oracula in sacris occurrunt. e) Quamvis enim negari haud possit, leges has ad populi, cui datae sunt, ingenium et totius reipublicae Iudaicae indolem accommodatas fuisse; quamvis porro Optimus Servator ab hac ordinatione Matth. V. 38. recedere videatur, quam difficultatem Theologis tollendam relinquimus: id tamen certe inde colligitur, DEum has leges nunquam daturum fuisse, imo nec dare potuisse, si iuris naturalis dictamini adversarentur. Pertinet huc etiam ius illud, quod DEus proximis caesorum concesserat, ut mortem eorum ulciscerentur, et homicidam pariter vita privarent. Et eam quidem potestatem adeo illimitatam concesserat, ut sanguinis, qui dicebatur, vindex homicidam quoque tantum culpосum, si ex urbe refugii sui, quarum sex DEus constitui iusserat, ut qui inopinato et praeter intentionem occideret hominem, a sanguinis vindice tutus esset, si, inquam ex urbe refugii sui egressus esset, impune potuerit trucidare, quemadmodum id per-

e) *Exod. XXI. 24. Levitic. XXIV. 20. Deuteronom. XIX. 21.*

perspicitur ex oraculis. f) Quod profecto manifesto est argumento, quae superius a nobis adstructa sunt, nihil in se continere, quod non cum lege naturae prorsus conveniat.

§. XIII.

Cum itaque ex haecenus dictis constet, competere cuivis homini in statu naturali Ius se etiam cum caede aggressoris, si periculum alia ratione depelli haud possit, defendendi §. VII.; competere porro Ius pro ratione damni dati illius reparationem etiam per caedem quaerendi; et denique Ius quoque esse singulis, securitati suae, nisi aliter fieri possit, cum caede prospiciendi, §. XI.; non est, cur amplius de genuino fonte, ex quo Ius vitae et necis derivari possit, solliciti esse debeamus. Quemadmodum enim illa iura omnia hominibus omnino in naturali statu denegari haud possunt: ita nullum est dubium, quando in societates civiles coeunt, atque sic omnem suam voluntatem suasque vires omnes in eum resignant, penes quem summum volunt esse imperium, quin ea quoque omnia ab ipsis in summum deferantur imperantem, atque sic Ius vitae et necis producat. Omnia vero hac ratione incommoda evitantur, quae pristinam

L 4

pre-

f) Numer. XXXV. 10. seqq. et Deuteron. XIX. 2. seqq.



premebant sententiam. Nullus sic relinquitur hiatus inter veritates cognatas, nulla se exerit lacuna. Uti tota maiestas ex delatione oriri dicitur: ita Ius vitae et necis hoc modo adstructum, prout fieri debebat, ex eodem fonte promanat. Evanescit etiam obiectionis species, ad quam tollendam omnes ingenii vires adhibuerunt viri docti, et cuius tamen robur haud penitus infringere valebant, quandoquidem sic summo iure negari potest, deferri aliquid summo imperanti a civibus, quod ipsi haud habeant, cum evictum sit, tribui omnino debere hominibus illa iura, ex quorum delatione Ius vitae ac necis deduximus. Praeciditur hac via denique etiam illud, quod §. VI. obverti posse monuimus, scilicet ad salutem et tranquillitatem reipublicae conservandam poenas capitales haud necessario requiri, quippe quod aliis quoque mediis obtineri possit; atque sic omnia sunt in vado et sponte fluunt,

§. XIV.

Uti autem haec ratio eminentissimum hoc Ius maiestaticum demonstrandi optime se mihi probavit, cum in praelectionibus meis in Iurisprudentiam naturalem privata meditatione inquirerem, quomodo tam gravis materia maiori cum perspicuitate et ad pleniorum convictionem Auditoribus

bus posset exponi; ita haud mediocrem fensu voluptatem, cum haud ita pridem in L. B. de ZECH, *Meditationes de Origine, indole, effectibus atque historia Iuris reformandi Regum atque Principum, nec non statuum Imperii Romano-Germanici circa religionem* incidere, atque eandem sententiam singulari acumine propositam atque pertractatam deprehenderem. Non potuit non gratus mihi esse huius viri consensus, quo non mediocriter in sententia confirmatus sum; neque existimo ingratum fore benevolis Lectoribus, si praecipua, quae huc faciunt, ipsis auctoris verbis communicavero. Ita vero pag. 16. l. c. §. 18. differit: *Cum homines tantum agere boni teneantur, quantum fieri potest, tantum etiam se suamque vitam conservare tenebuntur, quantum in ipsorum viribus est, ut nec illam pro lubitu perdere, nec membra sua destruere possint; nullam ergo habebunt potestatem vitam nec membra sua abrumpendi, destruendi, nec ergo illam potestatem in alium transferre, neque de illa pacisci poterunt, cum illud, de quo paciscendum mihi est, meae potestati debeat esse subiectum, quod de vita, quod de corpore meo dici nequit, quantum ad destructionem, quantum ad mortem attinet. Unde ergo ius gladii, ius vitae et necis, quod imperanti in subditos competit? Num ergo vita, num membra subditorum imperio civili erunt exempta, cum de illis pacisci nequeant subditi? Ita enim ex regula videtur dicendum,*



cum omnem, quam habet potestatem ex consensu subditorum, ex pacto acceperit imperans, qualiscunque futurus. Cum vero singuli ius vitae et necis non habeant, illud transferre in Imperantem non possunt. Sed salva tamen res, imo salvum manet ius gladii, quod Principes gerunt, ex alio fundamento deducendum. Postquam deinde sententiam communem et hactenus receptam ut insufficientem refutarat, ita pergit: Cum in statu naturali singulis lex naturae curam sui commendet, singuli ad suam conservationem obligabuntur; singuli ius habebunt, omnia impedimenta removendi, quae conservationi suae obstant; mala propellendi, evitandi, tollendi, quae destructionem nobis afferre poterunt; habebunt ergo etiam ius se defendendi; et siquidem aliter hic finis, vitae conservatio, obtineri nequit, etiam cum morte alterius nos nostraque sollicitantis; quodsi damna nobis illata, si bona nobis ablata fuerint, ad quae conservanda tenemur, potestas nobis erit non minor ea recuperandi, repetendi, quam est ea conservandi, nostrasque in posterum securitati prospiciendi. Haec vero potestas in statu civili singulis integra baud permanet, sed in illum translata est, in quem translata est cura defendendi rempublicam, eamque ab omnibus malis tuendi, solo necessitatis casu subditis relicto, in quo, ubi aliter suae saluti consulere nequeunt, tantum potestatis circa sui defensionem adhuc exerere possunt, quantum ad sui conservationem adhuc est necessarium. Et haec quidem



quidem origo atque genesis est iuris vitae et necis, quod imperantibus competit. Prolixior paulo haec erat allegatio, sed digna certe fuit, quae afferretur. Id unicum adhuc annotamus virum summum in nota referre, se in novam hanc rationem ius vitae et necis demonstrandi incidisse, cum explicare haud potuerit, qua ratione dici queat, consensu subditorum hoc ius effectum esse Imperantibus, cum illud licet non formaliter tamen virtualiter habeant, et laetatum esse cum postmodum eadem deprehendisset cogitata in libro anglico idiomate scripto, cui titulus fuit: *The rights of the Christian Church*, quique, utpote iuribus Episcoporum infensissimus, tantos in Anglia motus excitaverit, ut carnificis manu igni traderetur.

§. XV.

Negari autem non potest, iam ipsum HOBBSIVM aliquid de hoc iuris vitae et necis fonte detexisse, quippe quod a iure se conservandi derivavit, et forsan vel eo nomine suspecta nonnullis nostra videbitur sententia. At vero, ut taceamus, non omnia eapropter statim esse reprobanda, quae HOBBSIO placuerunt, quod scilicet ab ipso profecta sint, cum inficias ire possit nemo, hunc virum, si a falsis ipsius principiis abstrahas, quae ipsa magis ex
sectae



sectae seu factionis studio, ut Monarchomachis se opponeret, quam ex vera convictione adoptavit, plurimum ingenio poluisse, et singulari mentis perspicacia atque iudicio praeditum fuisse, quin et in suis scriptis haud pauca proposuisse, quae omnino ad Iuris naturalis scientiam promovendam facere possunt, tantum abest, ut nostra sententia cum ipsius opinione conveniat, ut potius toto, quod aiunt, coelo a se invicem discrepent. Quamvis enim g) ius hoc vitae et necis ex iure se conservandi repetendum esse iudicet; tamen iterum a nostra sententia longissime recedit, quando statuit, competere homini in statu naturali facultatem pro suo arbitrio de conservatione sua iudicandi, summum vero Imperantem iure vitae ac necis non ob delationem, a civibus factam, sed eapropter gaudere, quoniam in societate civili solus adhuc iuribus status naturalis fruatur, ipsumque hoc ius prout lubuerit, vel reipublicae utile iudicaverit, exercere posse. Quae omnia salvis suis principiis, in se quidem et falsissimis et perniciosissimis, qualia sunt illa: in statu naturali ius omnibus esse in omnia; antecedenter ad Imperantem eiusque voluntatem non dari iustum vel honestum; quicquid is vero velit, iubeat, agat, iustum esse

g) in *Leviathan. Cap. XXVIII. sub init.*



esse et legitimum, non poterat aliter definire. Quae PVFENDORFFIVS huic HOBBSII opinioni opponat, legi possunt in ipsius opere maiore *b)* ubi an rem acu tetigerit, nostrum hic non est disquirere, quorum tantum erat sinistras a nobis suspiciones amoliri.

§. XVI.

Sed occurrendum est alii cuidam difficultati, quae sententiae nostrae magis videtur esse contraria. Est forte, qui adversus nos insurgat, nobisque opponat, sufficienter quidem a nobis ostensum esse, competere summo imperanti facultatem a civibus delatam, ut singulos defendat, ipsorum iniurias vindicet, eorumque securitati prospiciat, et quidem in his omnibus, si opus fuerit, cum caede laedentium; at vero id omne pertinere ad satisfactionem privatam; ius autem vitae et necis constituere partem iuris puniendi, quod satisfactionem publicam pro obiecto habeat; ex his vero nondum intelligi, quomodo summo Imperanti etiam hoc nomine Ius vitae et necis competat. Fateor deesse adhuc aliquid in demonstratione, quod ipsum vero supplendum consulto in hunc locum reservavimus. Omnia autem ex
iis

*b) de Iure Naturae et Gentium Lib. VIII.
Cap. III. §. 1.*



iis ipsis, quae iam stabilivimus, pronofluunt alveo, et facili negotio intelliguntur. Scilicet quemadmodum singuli homines in statu naturali iuribus illis gaudent; ita et tota civitas ut persona moralis considerata non potest non iisdem esse praedita; et quemadmodum illi, dum civitati se adscribunt, iura haec sua in summum transferunt imperantem: ita et haec eodem modo, per delationem, horum iurium sibi competentium exercitium summo imperanti committit. Fieri autem non potest, ubi membrum civitatis ita laeditur, ut satisfactio ipsius privata caedem laedentis exigat, quin simul etiam securitas publica violetur, cuius generis attentatum vitam, ut sic loquar, societatis in discrimen adducit, adeoque eandem satisfactionem publicam requirit. Dum itaque summus Imperans ius suum vitae ac nece adversus atrociter delinquentes exercet, simul satisfactio et publica et privata exigitur; et cum sic ut superior malum passionis ob malum actionis infligat, omnino punit.

§. XVII.

Et si cui forte haec nondum demonstrativa esse videantur, praesidium nobis patet in auctoritate WOLFFII, cui solemne fuit, omnia sua rigidis demonstrationibus
mu-

munire, quique, uti CANZIVS, de quo §. VIII. diximus, *Ius gladii ex Iure se suaque defendendi nasci* adserit. Quam propositionem sequentibus ratiociniis demonstrat, quae ipsis eius verbis dabimus, omissis tamen, si sine piaculo fieri potest, frequentibus citationibus §§. antecedentium, utpote nobis nihil profuturis sine transcriptione ipsorum, ad quae provocatur, locorum, quae profecto satis amplum volumen requireret. Ita vero i) differit; *Ius gladii nascitur ex iure se suaque defendendi. Universitas enim in civitate spectatur tanquam persona moralis, quae iniuria affici laedique potest. Quamobrem cum unicuique homini competat ius se suaque defendendi; ius se suaque defendendi adversus laedentes universitati in civitate, seu Reip. competit. Enimvero se suaque et pudicitiam suam defendere licet cum interfectione laedentis, si periculum laesionis aliter averti nequit. Ergo etiam ius defendendi se suaque Reip. competens per demonstrata extenditur usque ad interfectionem laedentis, si periculum laesionis aliter averti nequit. Quamobrem cum non alio fine puniantur crimina, quibus damnum datur, vel iniuria affertur universitati in civitate seu Reip. -quam ut periculum laesionis ab ea avertatur; ius poena capitali afficiendi criminum patratores Reip. competit, consequenter Ius gladii, propterea quod se suaque*

i) in *Iure Naturae methodo scientifica pertractato Part. VIII. Cap. IV. §. 835.*



suaque defendere licet usque cum interfectione laedentis, si periculum aliter averti nequit. Patet itaque, ius gladii nasci ex iure se suaque defendendi. Ne vero nimis cumulemus allegationes, ex iis, quae praeterea quoque in nota adrexit Vir illustris, nihil addendum putamus.

§. XVIII.

Uti vero iam nihil superesse existimamus, quod ad sententiae nostrae confirmationem desiderari possit ulterius, utpote ex antecedentibus sufficienter intelligendae et argumentis sat firmis suffultae: ita non potest non omnibus patere, hanc Ius vitae ac necis explicandi viam ita esse foecundam, ut saluberrimae inde deduci possint consequentiae. Quis enim non ultro iam perspicit, vitam subditorum nequaquam esse in dominio summorum Imperantium, atque huius iuris exercitium arctis omnino circumscribi limitibus? Deinde facile hinc derivari potest regula generalis, ex qua diiudicari potest, utrum delictum aliquod sit eiusmodi, ut in illud ultimo supplicio animadverti queat, nec ne? Quaecunque enim securitatem vel singulorum, vel totius Reipublicae non in discrimen adducunt, ea licet poenis etiam gravioribus coerceri et reprimi possint, capitalem tamen non requirunt. Non negamus allegari posse



posse casus, ubi etiam delictis, in quae hi characteres non cadere videntur, poena capitalis statui solet in civitate, neque tamen eapropter has poenas iniuste infligi dicimus; sed neminem fugit, id tum fieri, quando per legem DEI positivam universalem, quae multis probatur, huius generis poena praecepta fuisse contenditur. Sed alia praeterea suppetit ratio, ex qua dubium hoc facile potest resolvi. Videntur scilicet illi casus tantum eiusmodi, ut hi characteres in eos haud cadant. Licet enim non semper uterque adsit, posterior tamen ut obtineat necesse est. Licet, inquam, singulorum securitas non exponatur periculo, ut tamen publica per illa delicta labefactetur oportet, quae certe, si legibus obsequium denegetur, non poterit non corruiere. Qui igitur nulla lege naturali obsequii denegationem iniungente ea committunt, quae legibus civilibus sub capitis poena sunt vetita, ii recte pro turbatoribus et infractoribus pacis securitatisque publicae habentur, et hoc nomine vita quoque privari iuste possunt. Optime proinde ROESLERVS in dissertatione superius allegata §. 14. Mortem, inquit, meretur, qui comminatione mortis in sanctione poenalis legis contenta, absterreri se non patitur, quominus sciens volensque legem violet.

M

§. XIX.



§. XIX.

Sed regeris forsan, hac ratione nobismet ipsis nos contradicere, qui vix dixerimus, subditorum vitam non esse in summorum Imperantium dominio, luri que vitae ac necis exercitium arctis omnino circumscribi limitibus. Si enim, pergis, recte infligitur poena capitalis iis omnibus, qui, quae sub poena capitis lege civili sunt vetita, admittunt, summus utique imperans pro lubitu grassari potest in civium vitam, dummodo quamcunque legum suarum transgressionem ultimo supplicio vindicandam esse pronunciet. Sed facilis est responsio. Quando enim contendimus, quae sub capitis poena sunt vetita sine ipsius quoque securitatis publicae infractione violari haud posse, non simul quoque statuimus, summum imperantem, quaecunque lubuerit, sub eadem gravissima poena posse vetare, sed supponimus potius, eum iuribus suis nequaquam esse abusurum, neque in quicumque capitales pronunciaturum esse poenas, nisi per quod ipsa reipublicae salus in discrimen adducitur. Quodsi enim levioribus quoque delictis capitis poena statuatur, non quidem habebunt legis transgressores, de quo conquerantur, quando tam severas luunt poenas, cum scientes et volentes in hanc se praecipitarint calamitatem, sed tamen



tamen dici non potest summo imperanti
ius fuisse tam severas poenas irrogandi.

§. XX.

Quantumcunque igitur etiam sit Ius
summi Imperantis in definiendis poenis
capitalibus, illud tamen dici non potest
illimitatum, sed, si recte administrandum
sit, tum demum locum invenit, quando
nulla alia via salutis publicae potest pro-
spici. Et optandum omnino esset, ut in
eiusmodi legibus ferendis eum Imperantes
induerent animum, quem mitissimus ille
imperator Romanus demonstrasse perhibe-
tur, qui, quoties mortis sententia ab
ipso confirmanda et subscribenda erat, ex-
clamasse fertur: *Quam vellem nescire litte-
ras!* ne ipsorum leges, quod de DRACO-
NIS legibus veteres dixerunt, sanguine
scriptae esse videantur.

T A N T V M!



VI.

DISSERT.

An iustum esse possit, quod non est
honestum?

Tübingae. m. Sept. MDCCLVI.

§. I.

Non est forsan, cur multus sim in exponendis rationibus, quibus permotus ad quaestionis, quam excutiendam sumsi; examini animum adieci. Ipsa argumenti nobilitas adeo non potest esse dubia aut obscura, ut per se iam incutrat in oculos, cum ab ea quaestione plurima pendeant, quae in omni iure axiomatum instar haberi solent, quorumque genuinus sensus intelligi vix potest, nisi de huius quaestionis resolutione recte constiterit. Omnium ore celebratur illud Brocardicum: *Summum Ius, summa iniuria*; et apud Ictos Romanos non minus frequens est usus decantatissimae illius formulae, quae inter



inter regulas Iuris relata est: *Non omne, quod licet, honestum est.* L. 144. pr. ff: de R. J. quae singula uti a viris doctissimis peculiaribus commentationibus iam sunt illustrata, e quibus IOH. PAUL. KRESSIVM a) IOH. SAMVEL STRYCKIVM b) allegasse sufficiet; ita a notionum iusti et honesti indole, mutuaque ad se invicem relatione, omnem suam lucem repetunt,

§. II.

Neque etiam verendum mihi esset, ne post alios, qui hanc in rem scripserunt, nihil mihi superfit, quod de meo adice-rem, si vel maxime nullum alium finem mihi propositum haberem, quam ut hisce formulis maior lux affunderetur, cum Viri, qui ad eas illustrandas suam contulerunt operam, ad Ius Civile potissimum respererint, mihi vero constitutum sit, in hoc argumento enucleando unice Philosophum agere, atque omnem meam tractationem ita instituere, prout Iuris universalis natura id exposit.

§. III.

Sed praesto sunt praeterea aliae quoque rationes, quibus compulsus hoc praes-

M 3

fertim

a) in *Diss. Ius summum, iniuria summa.*

b) in *Tractat. Acad. de Iure liciti sed non honesti.*



sertim argumentum selegi. Equidem semper in ea fui sententia, ut existimarem plurimum omnino facere ad disciplinarum quarumvis perfectionem, si notiones, quas vocant, fundamentales, quibusque omnia, quae ad disciplinae alicuius forum pertinent, innituntur maxime, curatori instituto examine evolverentur, et ab ambiguitatibus, quibus laborare plerumque solent, liberarentur. Nulla enim alia ratione aptius et certius Logomachiarum incommoda, quae profecto in adstruenda disciplinarum certitudine insigni esse solent, obstaculo, evitantur, et acerrimae lites, quibus nimis frequenter et nimis cito implicantur eruditi, praeciduntur, cum e contrario hac cautione ommissa andabatarum in morem pugnari soleat, et inter diversa diversorum virorum systemata pronunciari haud possit, quantum dissensui, quem inter ipsorum placita observare licet, tribuendum sit momentum. Idem mihi animus fuit, cum in *dissertatione de Notione Obligationis* mentem meam exponerem, at in eam notionem, quae omnino inter primas Iurisprudentiae naturalis referenda est, data opera inquirerem; neque me huius instituti poenituit, cum hac ratione luculenter demonstraretur, quid in Systemate Wolffiano potissimum sit desiderandum. Et certe haud mediocrem mihi attulit voluptatem, cum paulo post anim-

adver-

adverterem, doctissimam Fratrum bigam
 Celeb. Göttingensium Professores GVSTAV.
 BERNH. BECKMANNVM et OTTON. DAVID.
 HENRIC. BECKMANNVM, quorum uterque
 antea in propugnando WOLFFII Systemate
 adeo pertinax fuit, ut ambo in huius Ma-
 gistri verba iurasse viderentur, mutata sen-
 tentia eam quoque ingressos esse viam,
 quae mihi ex huius notionis investigatione
 se probavit. Conferri possunt horum Du-
 umvirosum *Meditationes de genutnis fontibus
 Iuris Naturae*, vernaculo sermone scriptae,
 quibus simul hiemales suas indicarunt prae-
 lectiones. Uti igitur iam cum sensi, haud
 inutiliter impendi, quae in perscrutandis
 Iuris naturalis notionibus primis ponitur,
 operam: ita et hac vice existimavi, pro-
 ficuum fore, si in enodanda hac quaestio-
 ne iusti et honesti notiones, quae certe
 ipsum huius disciplinae fundamentum con-
 stituunt, inter se conferrentur et explica-
 rentur. Qua de re eo minus dubitari
 potest, cum manifestum sit, plurimorum
 casuum eorumque admodum difficilium et
 intricatorum resolutionem inde pendere,
 et sic optime intelligi posse, quid de con-
 troversia nuper demum per SCHMAVSIA-
 NVM Systema resuscitata statuendum sit;
 an Ius naturae solis principiis iusti absol-
 vatur?



§. IV.

Multiplici significato venire solet honesti vocabulum, et a multis saepe adeo indeterminate poni, ut quam cum hac voce ideam coniungant, profus sit ambiguum. Non opus est, ut in originem huius vocabuli pluribus inquiramus, cum nemini obscurum esse possit, ab honore id derivandum esse, et proinde grammatico significato omne id dicere, quod honorem meretur. Ita vero a veteribus Philosophis acceptam fuisse hanc vocem, ut actiones, quae laude sint dignae, designaret, pluribus ostendi posset testimoniis, nisi res ita esset clara, ut probatione haud indigere videatur. Unicum tantum adiciemus idque CICERONIS. Ita vero is: *Qui honorem sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur.* Quum vero non sit huius loci hic significatus, ubi de honesti et iusti differentia quaerendum potius nobis est, fini nostro magis erit consentaneum, eas indagare harum vocum acceptiones, quae ad resolvendam quaestionem propositam poterunt adhiberi.

§. V.

Iuvabit hanc in rem audire Philosophorum cogitationes, quorum haud pauci
hasce

hasce notiones folicite a se invicem distinxerunt, ita tamen ut alius hanc, aliam alius, relationem inter eas posuerit. Prodeat primo omnium loco, qui inter Iuris naturalis Doctores haud dubie primus est, GROTIUS, Is vero c) Ius naturae in genere quidem definit per *dictatum rectae rationis, indicans actui alicui ex eius convenientia aut disconvenientia inesse. moralem turpitudinem aut necessitatem moralem ac consequenter ab auctore naturae DEO talem actum aut vetari aut praecipere*; sed tamen illud in duas partes discescit, quarum alteram *Ius naturae sociale*, alteram vero *Ius naturae laxius* vocat. d) Priori, ipsi iustum est, quod naturae ut sociali, posteriori, quod ei ut rationali convenit, Illa satisficit iustitiae expletrici, haec vero attributrici; illa perfectam, haec imperfectam gignit obligationem. Ne vero iusti notio duplici hoc significato sumta confusione locum praebeat, id quod posteriori sensu iustum esset, a convenientia actionis cum natura ut rationali repetendum, alia voce designandum putavit, et proinde rectum appellavit. e) Id ipsum vero quod hac ratione rectum dixit, ipsi etiam honestatis nomine venit, ita ut secundum haec, quod *iure perfecto debetur, iustum, quod imperfecto, honestum*, ipsius sententia dicendum

M 5

dum

c) *de Iure B. et P. L. F. C. I. p. 10. n. 1.*d) *Proleg. §. 8. et 9. et §. 12.*e) *ibidem L. L. C. I. §. 9. n. 1.*



dum esset. Silentio autem praeterire haud possumus, alio praeterea significatu GROTIUM honesti vocabulo uti. Quum enim ad ius naturae laxius, excepta iustitia in stricto significato sumpta, qua ius naturae sociale absolvi existimavit, reliquas virtutes liberalitatem, misericordiam, fidelitatem, pietatem &c retulisset, simul vero animadvertisset, alias earum hominibus aliis utilitatem afferre, alias vero nullo reliquos homines commodo afficere, posterioris generis virtutes a iure naturae laxiori exemit, et quemadmodum huic vim obligandi imperfectam tribuit, ita illas ab omni obligatione vacuas declaravit, tanquam mera consilia sive praescripta honesta, sed non obligantia, f) Huc pertinent, g) sequentia, licitum esse matrimonium contrahere, at laudabiliorem esse ex pio proposito caelibem castitatem; repetere licere nuptias, sed laudabilius esse uno contentum esse matrimonio; venditorem vinum venditum elapso die praestituto iure effundere, suisque doliis uti posse, at laudandum esse, si cum possit non effundit. Quae uti plura alia sollicitè pro more suo annotavit Vir summus, nostri seculi Tribonius, SAMVEL. DE COCCEII, b) Quodsi vero haec

f) L. I. C. I. §. 8. n. 1. C. II. §. 1. n. 3.

g) L. III. C. IV. §. 2. n. 1.

h) in Introductione ad Patris HENRICI DE COCCEII Grotium illustratum Dis. proem. II. §. 9.

haec cum ipsius GROTHII principiis superius
 expositis conferamus, facile apparet, vi-
 rum hunc caeteroquin acutissimum sibi
 non satis constare. Etenim quando ipsius
 Ius naturale laxius illud est, quod naturae
 ut rationali convenit, sic pronuntiandum
 esset, virtutes, quae nullam aliis homini-
 bus utilitatem afferunt, naturae ut ratio-
 nali non convenire, quod omnino absur-
 dum foret. Et praeterea satis notum est,
 in hanc sententiam pertractum fuisse GRO-
 TIVM per singularem illam hypothesin,
 qua statuit, dari peculiarem aliquam Le-
 gem Evangelii a Christo tanquam novo
 Legislatore latam, et Legi morali superad-
 ditam; quo nomine a Theologis passim
 ex merito vapulat.

§. VI.

Tantam in distinguendo *ἀρετήν* non
 observavit, qui GROTHIVM secutus est,
 PVENDORFFIVS, utpote qui nullibi diffe-
 rentiae cuiusdam, quae inter honestum
 et iustum intercederet, meminit; sed tan-
 tum, quasi in transitu, dum negat, dari
 res per se et absque omni impositione
 turpes vel honestas, hoc est, dum mora-
 litatem, quam vocant, obiectivam repro-
 bat, honestatem vel turpitudinem mora-
 lem sistere nobis dicit proprietates quas-
 dam actionum humanarum, quae ex con-
 venien-



venientia earum cum norma sive lege resultent. i)

§. VII.

Aliam omnino viam ingressus est CHRISTIANVS THOMASIVS, qui, uti in Institutionibus suis Iurisprudentiae divinae Pufendorffianis placitis subscripserat; ita postmodum in fundamentis Iuris naturae et Gentium ex sensu communi deductis novum Systema extruxit, in quo id cumprimis tum Doctoribus Scholasticis, tum PUFENDORFFIO, quin et sibi met ipsi respectu habito ad prius illud scriptum, vitio dat, quod iustum et honestum confuderint, quae differentia tamen ad primaria capita disciplinae moralis pertineat, atque sic Ius naturae et doctrinam ethicam miscuerint. k) Cui vitio ut medeatur in ipso hoc tractatu haud una vice de differentia honesti et iusti agit, quibus adiungit quoque decorum. Ut vero discrimina haec distincte exponat, tres actionum moralium classes constituit, bonarum, malarum et mediarum, quarum primam ponit in actionibus, quae tendunt ad acquirendam pacem internam, secundam in eiusmodi, quibus externa pax turbatur; tertiam autem iis actionibus tribuit, quae quidem non turbant pacem

i) *De Iure Nat. et Gent. L. I. C. II. §. 6.*

k) *Fund. I. N. et G. Cap. prooem. §. 12.*

pacem externam, nec tamen eam promouent, vel quae etiam quaerunt pacem externam, sed sine debita cura internae. Illi ex ipsius mente respondet honestum, isti opponitur iustum, huic vero convenit decorum.) Nescio an liceat hinc nonnullas elicere conclusiones. Dum pax interna nihil aliud videatur indicare, quam animum ita compositum, ut non tantum eas exerceat virtutes, quae alios homines respiciunt, sed illas quoque, quae DEum et nosmet ipsos pro obiecto habent: id procul dubio inde sequetur, ut bonum honestum semper etiam bonum, quod iustum dicitur, in se contineat. Qui enim quis interna pace frui, et externam tamen turbare possit, prorsus non videmus. Atque hac quidem ratione omne id quod honestum esset, iustum quoque dicendum foret, licet non omne id, quod iustum diceretur, honestum quoque esset. Quamvis autem haec ex ipsis THOMASII verbis per legitimam inferantur consequentiam, non tamen ipsius menti respondere videntur, cum ex aliis eiusdem tractatus locis appareat, ipsum in hac actionum moralium consideratione non tam ad agendi habitum, quam ad ipsum actum respexisse, ita ut ipsi actio *honestae* dicatur, *quae pro obiecto habet pacem internam*, illa autem *iusta*, *quae circa pacis externae promotionem versatur*, vel potius,

1) l. c. L. I. C. IV. S. 87. 89.



potius, ut illa id, quod nobis, haec vero, quod aliis hominibus, et quidem perfecte debemus, curet et efficiat. Quapropter et honesti principium hoc ponit: *Quod vis, ut tibi sibi faciant, tute tibi facies.* Iusti autem hoc: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quae enim reliquis hominibus imperfecte debemus, sub decoro comprehendit, prout id patet ex principio Decori, quod ponit: *Quod vis, ut alii tibi faciant, tu ipsis facies.* m) Ex quo clarum est, THOMASIVM cum GROTIŌ in significato iusti convenire, in honesti vero acceptione ab eo discrepare. Cacterum, quae moneri possent, circa hanc actionum divisionem, circa membrorum divisorum definitiones, circa consequentias inde deductas, quorum forte haud pauca essent, cum rigor logicus in his omnibus non parum desideretur, ea prorsus praetereunda esse existimamus, cum pro instituti nostri ratione sufficiat, determinasse, quas honesti et iusti notiones sibi formaverit THOMASIVS, quod certe non adeo facile fuit definitu, uti ex definitionibus ipsius adeo fluctuantibus et minus praecisis colligi potest.

§. VIII.

Prodeat iam Philosophiae recentioris auctor statorque CHRISTIANVS WOLFFIVS, cui

m) l. c. L. I. C. VI. §. 40. seqq.

cui omnino plurimum debet Iurispuden-
 tia naturalis, et praeterea quoque id, quod
 non amplius exili habitu compareat, sed
 vasta mole et numerosis voluminibus Bi-
 bliothecarum loculos onerare possit, pro-
 deat inquam, et quid honestum sit, nos
 edoceat. *Honestum* ipsi dicitur, *quicquid obli-*
gationi ac iuri naturali convenit, seu id, quod
fit, quod naturaliter debitum et licitum. Na-
 turaliter autem debitum ipsi est; ad quod
 lege naturali praeceptiva obligamur: et
 naturaliter licitum illud, ad quod lex na-
 turae permissiva nobis dat ius; quemad-
 modum e contrario naturaliter illicitum
 dicitur, ad quod omittendum lege naturali
 prohibitiva obligamur. *n)* *Iustum* ipsi audit,
quod convenit iuri perfecto alterius, seu, quod
fit iuxta ius perfectum alterius. Cui opponit
 aequum, idque definit per id, quod con-
 venit iuri imperfecto alterius, seu, quod
 fit secundum ius imperfectum alterius.
 Quia autem ipsum haud fugiebat, alio
 praeterea significato iusti vocabulum sumi
 solere, hisce definitionibus statim sequen-
 tia subiungit verba: *Quoniam in civitate iu-*
ra perfecta lege civili definiuntur, iustum vul-
 go appellatur, quod legi civili convenit, aequum
 vero, quod convenit soli legi naturali. l. c.
 §. 240. Patet igitur ex his, cum dupli-
 cem WOLFFIVS iusti acceptionem admit-
 tat,

n) Philos. pract. Univers. Part. I. C. II. de
Obligations ac Lege naturali §. 170. et 171.



tat, priorem non opponi honesto, sed
 subordinari, cum honestum omne id ge-
 neraliter designet, quod iure naturali de-
 bemus, atque sic cum aequum tum ius-
 tum sub se contineat, iustum autem spe-
 cialiter ea denotet, quae iure naturali
 ita debemus, ut obligationi nostrae re-
 spondeat in altero ius perfectum. Patet
 porro, quod posteriorem iusti acceptio-
 nem concernit, illud honesto, e diametro
 opponi ex celeb. viri sententia. Licet
 enim ipse iustum honesto non opponat,
 sed aequo: tamen cum aequum in hac
 oppositione definiat per id, quod conven-
 nit soli legi naturali, atque haec quidem
 definitio coincidat cum ea, quam superius
 de honesto dederat; manifestum est, ius-
 tum civile distingui hac ratione ab hone-
 sto naturali.

§. IX.

Postquam vero haecenus praecipuorum
 Philosophorum, qui in Iurisprudencia na-
 turali ornanda desudarunt, audivimus sen-
 tentias; haud tamen aberraturi sumus a
 scopo, si etiam Iuris Civilis Romani pla-
 cita illustrationis ergo adiunxerimus. Lon-
 gum vero esset in latissimos eius campos
 omnes excurrere, et quot modis vel ho-
 nestum vel iustum sumi soleat undique
 conquirere; qui labor uti vires nostras
 esset

esset superaturus, ita nec ab Instituto nostro admitteretur. Unicum forte sufficiet exemplum. Insignis est locus, qui in Institutionibus D. Imperatoris Iustiniani occurrit, ubi §. 3. *Inst. de Inst. et Iure: Iuris*, inquit, *praecepta sunt haec; honeste vivere, alterum non laedere, suam cuique tribuere.* Ad quae verba *Illustr. HUBERVS* sequentem in modum commentatur: *Primum non modo est regula vitae, sed etiam indicat propositum Iuris Conditorum, quod nihil in arte bonis moribus adversum tradere velint. Unde rerum inhonestarum nulla obligatio, nulla facultas. - - Reliqua duo expriment officium hominis iusti, et si rem expendas, ferme eodem redeunt.* Distinguuntur adeoque in hisce verbis a se invicem iustum et honestum, et cum iusto heic loci nullus alius tribui posse videatur significatus, quam ut ea, quae obligatione perfecta debemus, denotet, quippe quod ex ipsis terminis, neminem esse laedendum, et cuique suam tribui oportere, clarum est: honestum procul dubio in se comprehendet officia, quae imperfectam tantum obligationem imponunt, vel omne id, quod ab humanitate alterius seu ex virtutis studio expectari potest. Quot modis praeterea honesti vocabulum in Iure Civili accipiatur, pluribus ostendit, quem iam allegavimus *STRYCKIVSO*) ex quibus generaliter obser-

N

vari

o) *in cit. Tract. Acad. Cap. I. num. 75. seqq.*



vari posse asserit, ICTos Romanos omne illud, quod ulla ratione bonum et laudabile est, honestum dixisse, tanquam quod honestas omnes in se comprehendat virtutes. Quo ipso, quae de huius vocabuli in Iure Rom. significatu pronuntiavimus, fatis superque confirmantur.

§. X.

Antequam vero ex iis, quae hactenus exposuimus, consequentias nonnullas ad quaestionis nostrae explicationem facturas deducamus, necesse est, ut alium praeterea significatum iusti commemoremus, qui in vita communi longe frequentissime solet usurpari, ubi omne id, quod licet, iustum solet appellari, quoniam id quasi iure nostro facimus, atque sic neminem afficimus iniuria. Duplici autem ratione licitum quid dicitur, vel quando facultas nostra agendi moralis legibus non est circumscripta, ita ut actio, quae sic editur, nulli legi adversetur, vel quando in societate civili impune quid committitur, etiamsi actio eiusmodi cum honesti regulis non ex omni parte conspiret. Quando itaque nulla lex vel prohibitiva vel praecipitiva actionem aliquam determinat, tum id manifesto videtur esse indicio, eam libertati nostrae naturali esse permissam, et ius nobis competere, eam pro arbitrio
et

et lubitu vel edendi vel non edendi, et
 quacunque ratione legibus reliquis non
 contraria determinandi. Quodsi autem iam
 quaeratur, an dentur eiusmodi actiones,
 quae a nulla lege naturali vel praeceptiva
 vel prohibitiva determinantur, facile quidem
 perspicitur, si in abstracto consideraverimus
 actiones, easque non omnibus suis cir-
 cumstantiis vestitas, multas omnino eius
 naturae posse nominari: sed aliter res pla-
 ne se habet, quando de actionibus in con-
 creto sermo est, quarum nulla poterit al-
 legari, quae non a lege aliqua naturali
 regatur et determinetur. Iam vero si
 quaeritur, utrum aliquid naturaliter liceat
 nec ne? non profecto est quaestio de acti-
 one in abstracto, sed an ius nobis sit, pro
 ratione circumstantiarum actionem vel su-
 sciipiendi vel omittendi, hoc est, de acti-
 one in concreto, quo casu nunquam de-
 erit lex, quae eam vel praecipiat vel ve-
 tet. Qua ratione id, quod priori signi-
 ficatu licitum dicitur, in Iurisprudencia
 naturali prorsus non datur. Dari autem
 Iure civili, id negari non potest, cum
 impossibile sit, ut Legislatores humani de
 singulis actibus, in quibus tamen quae ibet
 circumstantia rem variat, vel praecipiendo
 vel prohibendo lege positiva decidat. Qui
 sensus liciti si assumitur, tum iustum hac
 ratione pro eo sumtum, quod nulli legi
 civili repugnat, potest certe in multis ca-



sibus honesto opponi, quatenus denotat illud quod legi naturæ est conveniens. Atque sic illa ipsa fere iusti et honesti differentia prodit, quam supra §. VIII. iam ex WOLFFIO annotavimus, cum hac saltem discrepantia, ut iustum sic dicatur, quod legi civili non disconvenit, quod ipse definivit per id, quod legi civili convenit. Quod ad alterum liciti significatum adtinet, ubi id, quod impune fit, denotat, manifestum est, illud improprie tantum iustum dici posse, cum in eo, quod poenam meretur, licet in societate civili impunitum maneat, nulla agendi facultas ne cogitari quidem possit, sine qua tamen nullum competere nobis ius potest. Superfluum itaque esset, ad hanc iusti et honesti differentiam attendere, quæ iusti tantum impropria significatione, si qua esset, niteretur.

§. XI.

Ex iis iam, quæ de diversis honesti et iusti significatibus a nobis dicta sunt, facile colligitur, quam indeterminata sit quaestio, cui resolvendae animum adiecimus, si generaliter ita effertur: *an iustum esse possit, quod non est honestum?* Quodsi enim ad eam cum præcisione respondendum est, ante omnia de hisce ita constare debet, ut illis vocabulis distincta et constans

stans notio respondeat. Cum autem a diversis
 adeo diversimode usurpentur hae voces,
 nulla superest hanc quaestionem resolvendi
 ratio alia, quam ut pro diversitate accep-
 tionis harum vocum diversimode etiam
 decidatur ipsa quaestio. At vero si cal-
 culum inimus eorum, quae in antecedentibus
 dicta sunt, quinque potissimum mo-
 dis a se invicem distingui solent iustum et
 honestum, e quibus, quos primo loco po-
 nemus, tres peculiarem omnino merentur
 considerationem, reliqui autem duo tanti
 non sunt momenti. Etenim I. honestum
 audit, *quod iure imperfecto*, iustum autem,
quod perfecto iure debetur, quo sensu GRO-
 TIVS §. V. et Icti Romani §. IX. quin et
 WOLFFIUS §. VIII. dum aequum et iustum
 sibi contradistinguit, si aequum honesto hae
 ratione aequipollere dicamus, has voces
 usurparunt. II. Honestum denotat id, *quod*
nobis, iustum vero id, *quod aliis et quidem*
perfecte, debemus, quae sententia est THO-
 MASII, §. VII. quem secutus est SCHMAV-
 SIVS. III. Honestum dicitur, *quod Iuri natu-*
ruali, iustum, *quod Iuri Civili convenit*, ut
 id patet ex §. VIII. et X. Praeter tres hosce
 modos annotavimus quoque, quod IV.
 honestum designet id, *quod iuri naturali in*
genere convenit, iustum vero *in specie id,*
quod ex ipsius praescripto obligatione perfecta
debetur, quae WOLFFII §. VIII. acceptio est,
 et V. honestum pari ratione id dicat, *quod*



Iuri naturali convenit, iustum autem id, quod in civitate licet, quemadmodum ex §. X. perspicitur. De primis tribus acceptionibus paulo plenius dispiciemus in sequentibus, de posterioribus tantum paucula addituri.

§. XII.

Et vero, quod ad primam acceptionem adinet, ante omnia accuratius considerandae sunt illae honesti et iusti definitiones. Etenim quemadmodum iusta dicitur actio, iure perfecto, vel, quod idem est, obligatione perfecta, debita, ita non minus iuste dicitur is agere, qui id, quod obligatione perfecta sibi debetur, iure suo usus exigit, quae duo licet ex eodem fonte, tanquam relata et correlata, prominent, nihilominus tamen a se invicem distingui et possunt et debent. Sic quando fidem meam alteri pacto adstrictam adimpleo, actio ista dicitur iusta; sed eadem ratione illius actio dicitur iusta, qui me, ut fidem sibi datam praestem, adigit. Idem de honesto dici potest. Honestè enim agit, qui obligationi suae imperfectae satisfacit; sed et honestè agit, qui quod iure imperfecto expectare potest, petit. Vel, ut rem aliter exprimamus, actio cum honesta tum iusta dicitur aut respectu habito ad id, quod est officii, aut vero in
rela-



relatione ad facultatem moralem agendi, quae per leges nobis est concessa. Quam distinctionem eo magis expendi cupimus, quoniam et in sequentibus ad eam nobis erit recurrendum. Iam vero facile intelligitur nullam unquam inter actionem vel honestam vel iustam exoriri posse collisionem aut pugnam, si utraque eodem respectu sumatur. Sive enim de officio sive de facultate agendi sermo sit, non potest non in actione, quae dicitur iusta, illic obligatio perfecta, imperfectam quoque, hic vero ius perfectum, imperfectum etiam ius includere. Illustrabo rem exemplo. Obligor iure naturae sed saltim imperfecte ad alterius commoda promovenda; si vero praeterea quoque pacto me ad id ipsum obstrinxero, obligabor perfecte; atque sic actio, quae antea futura fuisset mere honesta, iusta evadit. Eadem est ratio iuris, cum beneficium, quod in miseria constitutus ab altero expectare tantum poteram, interposita ipsius fide de illo praestando, mihi deberi incipit. Non itaque, hoc sensu, dari potest iustum, quod non simul sit honestum. Aliter vero res se habet, si actio honesta et iusta, altera pro officio, altera pro actu ex facultate agendi suscepto sumta inter se contenduntur. Ponam, aliquem mihi debere mille Imperialium summam, quam si solveret, omnibus suis facultatibus exueretur,



ita ut amplius non haberet unde suam et suorum vitam toleraret. Ius mihi perfectum est, aes meum repetendi, et vi etiam exigendi, neque, dum id facio, de vel minima sibi facta iniuria potest conqueri. Quicquid enim possidet, neutiquam pertinet ad rem suam ipsius, sed ad rem meam, quod dum repeto aut vindico, certe neminem laedo. Actio proinde haec erit iusta; sed an honesta quoque dici possit dispiciamus. Lege naturali obligor, et licet imperfecte, obligor tamen ad utilitatem alterius *quantum commode fieri potest*, promovendam. Quodsi igitur absque meo incommodo debitori meo tantum remittere possum, quantum quidem ad sui suorumque sustentationem requiritur, ad id faciendum omnino obligatus sum ex lege naturali; sin minus, nulla quoque aderit obligatio. Hinc si debitorem ad persolvendam integram, quam mihi debet, summam adegero, in priori casu iusta quidem erit actio, sed minus honesta; in posteriori autem nec contra iustitiae nec contra honestatis regulas quicquam admitteretur.

§. XIII.

Videtur itaque secundum hunc primum honesti et iusti significatum dari casus, ubi aliquid iustum esse potest, quod non est honestum; et si haec acceptio vocabulis
illis

illis proprie tribuitur, nihil habemus, quod opponamus; valent enim sicut nummi. Si autem quaestio ita instituitur, ut potius sermo sit de eo, quod secundum iuris naturae scita fieri debuit, atque an is, qui aes suum etiam tum repetit, ubi ratio humanitatis obstat, legem hanc sanctissimam non transgrediatur, sequens nullius peccati reum faciat? tum omnino videtur tantum dari eiusmodi casus, reapse autem non datur. Quae enim sunt ista, quae heic sibi invicem opponuntur? Ex altera parte est lex praeceptiva, quae obligationem nobis imponit, alterum facultatibus nostris iuvandi; ex altera vero lex tantum permissiva obtinet, quae ius quidem et facultatem agendi concedit, nullam autem necessitatem moralem iniungit, qua, adstringamur ad actum aliquem, sive, si quem forsitan male habet legis permissivae mentio, quam tamen eo significato, quo WOLFFIVS *p*) eam adstruit, non reprobamus, ex altera tantum adest facultas agendi per leges concessa, in quantum nulli legi vel praeceptivae vel prohibitivae derogat. At vero in substrato casu derogaret omnino legi naturali praeceptivae. Cedat igitur necesse est; vel potius illa facultas agendi in aliis casibus per leges nobis competens, in hoc omnino locum non habet, sive, quod idem est, ius illud perfectum, quod

N 5

cae-

p) *Phil. pract. univers. §. 168. 182. et 184.*



caeteroquin a legibus nobis tribuitur, in hoc casu evanescit. Sed quo dilabimur, talia statuendo? Nonne ex his sequi deberet, hoc casu nec debitorem nobis amplius esse obligatum, et si ius nostrum vi prosequi vellemus, ius quoque habere, vim vi repellendi, quod omnino absurdum esse videtur, cum concipi non possit, quod is, qui *res* suam repetit et vindicat, a quoquam iuste possit repelli? Possemus haec, negata absurditate, concedere, cum de eiusmodi casu sermo sit, ubi ius necessitatis manifeste obtinet, quo quid licitum sit, ut hic exponamus, instituti nostri non est; sed dabimus aliam solutionem. Negamus enim hoc inde sequi. Et enim is, qui in alterius est aere, in beneficio id reputare debet, si ipsi aliquid remittitur, vel tantum non statim, ac solvi deberet, exigitur. At vero beneficia non possunt extorqueri, et si denegentur, obligatio nostra perfecta eapropter non cessat, quoniam ius imperfectum nobis competit. Deinde is, cuius ius perfectum in hoc casu ob praeceptum naturae exspirat, obligatus quidem est, ad illi morem gerendum, sed respectu debitoris tantum imperfecte, atque ex nulla alia ratione, quam quia nullo suo afficeretur incommodo, cuius rei iudicium ad ipsum pertinet, neutiquam vero ad debitorem. Atque hoc ipsum est fundamentum, cur officia huma-
nita-



nitatis non aequae sint perfectae obligationis, ac reliqua de non laedendo et suum cuique tribuendo, quoniam nimirum aliorum hominum non est, decidere, quid commode a nobis fieri possit. Et si cui forsitan mirum videatur, quod ius perfectum cedere debeat obligationi imperfectae, eum rogatum volo, ut consideret, ius perfectum non idem esse ac obligationem perfectam, cui procul dubio imperfecta semper cedit, et obligationes nostras, quas imperfectas dicimus, respectu quidem hominum, quos pro obiecto habent, tales esse, respectu summi legislatoris autem, a quo lata est lex naturalis, esse longe perfectissimas.

§. XIV.

Multi praeterea iam allegari possent casus, qui ex iisdem principiis facili negotio solvuntur. Ne vero nimis prolixi simus, ubi nulla rei necessitas id reposcit, unicum tantum adhuc adiiciemus, qui vel ex ea ratione dignus videtur aliqua consideratione, quia non tantum in iure Civili Rom. L. I. §. 3. ff. de peric. et commod. rei vend. ab ULPIANO proponitur, sed et ab ipso GROTIUS q) ad Iuris Naturae decem pedam exigitur, quemadmodum supra §. V. iam annotavimus: an, scilicet, venditor
ela-

q) L. III. Cap. IV. §. 2. n. 1. in fin.



elapso die in contractu definito vinum
 venditum effundere iuste possit, suisque
 doliis uti? Non nobis hic est quaestio, an
 haec facultas concedi possit per leges civi-
 les? quo respectu casus hic tum resoven-
 dus nobis fuisset, quando de honesto na-
 turali, quatenus iusto civili opponitur,
 dicturi sumus. Sed quaerimus, quid ad
 hanc quaestionem ex legis naturae solius
 dictamine respondendum sit? GROTIUS
 paucis se expedit, et refert hoc ad illud
 liciti genus, *quod rectum ex omni parte,*
plumque est, etiam si forte aliud quid fieri pos-
sit laudabilius, quod iudicium uti ferre po-
 tuerit vir adeo perspicax, non adeo fa-
 cile intelligitur. Facilis vero est resolutio
 ex iis, quae in antecedenti paragrapho di-
 ximus. Manifestum est quidem, vendito-
 rem nulla ratione dici posse perfecte obli-
 gatum, ad vinum non effundendum, cum
 perfecta ipsius obligatio vinum asservandi
 elapso die in contractu praestituto omni-
 no cessaverit. Clarum porro est, ipsum
 gaudere iure perfecto, cui nemo absque
 iniuria opponere se possit, doliis suis uten-
 di, et de illis pro lubitu disponendi. At
 vero ius tantum hoc est; nulla ipsi adiun-
 cta deprehenditur obligatio, quae potius
 ex capite humanitatis heic obstat. Nisi
 igitur casus sit eiusmodi, ut venditor abs-
 que insigni suo damno dolia sua alteri
 commodare haud possit, et tamen emtori
 ali-



aliter prospicere nequeat, profecto iure Naturae neutiquam rectum dici potest atque legitimum, si effundatur, multo autem minus iustum. Satis enim ex haftenus dictis apparet, tum demum aliquid iustum proprie dici, quando officium designatur perfectum; quamvis autem deinde is quoque dici possit iuste agere, qui iure suo perfecto uti vult, nihilominus tamen hanc denominationem tantum impropriam esse, et si nullum officium obtiterit, nihil denotare aliud, quam id, quod licet, si verò vel imperfectum quoque officium repugnet, meram inter homines impunitatem designare.

§. XV.

Progredimur iam ad alteram iusti et honesti acceptionem, qua illud *id quod aliis perfecte, hoc quod nobis debemus*, denotat. Quodsi vero secundum hos significatus in quaestionem nostram inquirimus: an iustum esse possit, quod non est honestum? facile intelligitur, eam in hac consideratione nullum prorsus admittere sensum. Quis enim non videt hac ratione duas has notiones diversa respicere obiecta personalia, neque alteram alterius ullo in casu praedicatum esse posse affirmative? Namque ea utriusque est natura, ut eo ipso, dum aliquid dicitur honestum, non possit esse



esse iustum, et vice versa; hoc est, dum quid sistit officium erga nos, non poterit simul et eodem respectu referre officium erga alios. Sed videmur, quando ita pronunciamus, gravissimi cuiusdam erroris incusari a celeberrimo SCHMAVSSIO, qui has ipsas THOMASII notiones adoptavit, atque secundum easdem novum suum adornavit Systema, germanico idiomate conscriptum, et ante biennium typis vulgatum, et tamen haud veretur disertis verbis adferere, *l. c. p. 494. 502.* iusta esse stupra non violenta, vagas libidines, vitam meretriciam, concubinatum, polygamiam, polyandriam &c. quibus ipsam tandem annumerat autochiriam; quae profecta omnia iuxta ipsas Thomasianas definitiones non possunt non dici inhonesta. Et ne quis excipiat, eum haec omnia iuri tantum naturae non adversari allegatis locis contendere, monendum est, ex ipsius sententia Ius Naturae solis principiis iusti absolvi, *l. c. p. 468.* adeoque has locutiones eodem redire, sive dicatur aliquid esse iustum vel certe non iniustum, sive iuri naturae non contrariari statuatur. Verum enim vero tantum abest, ut per haec ea, quae annotavimus, infringantur, ut potius sententia nostra magis etiam confirmetur. Fucum enim tantum nobis facit vir caetera doctissimus, et si dicendum est, quod res est, ludit in terminis,
quod

quod certe in rebus tanti momenti ferri non potest, et vix excusandam animi levitatem prodit. Nonne enim hoc tantum est, ac si contenderem, honestum esse, alios iniuria afficere, ne durius exemplum proferam, quoniam scilicet hac ratione officium erga nos non violaretur? Nemini obscurum esse potest, quam facile eiusmodi temerariae locutiones ab imprudenti iuventute in sinistram trahi partem queant, quae nimis pro dolor prona est, ad omnia avide arripienda, quaecunque pravis suis cupiditatibus praesidio esse vel aliqua ratione patrocinari posse putat. Mirum proinde non est, hoc scriptum gravibus obnoxium fuisse censuris, quas illud promeruisse non negamus, licet nec controversiam, quam SCHMAVSSIO CHLADENIVS movit, ex omni parte nostram faciamus. Caeterum an ius naturae solis principiis iusti absolvatur, an vero totum officiorum complexum comprehendere statuendum sit, tanti non est momenti quaestio; dummodo concedatur, iniuncta nobis esse quoque officia erga DEum et alios, eaque ex ipsius naturae humanae consideratione posse erui et intelligi. In verbis enim erimus faciles.

§. XVI.



§. XVI.

At vero pedem promovemus ulterius, tertiam quoque iusti et honesti acceptionem consideraturi, qua honestum dicit *omne, quod iuri naturali, iustum vero id, quod legi civili* convenit. Hic vero vel maxime repetenda est distinctio, quam supra §. XII. adstruximus, iuxta quam aliud est, obligatum esse, aliud vero facultate agendi pollere, quod posterius, uti in antecedentibus, §. XIV. non tam actionem civiliter iustam quam potius licitam reddit. Iam si actionem consideramus, ad quam edendam vel omittendam obligatio nobis incumbit, deprehendimus, eam certe a lege civili non posse praecipari, quando lege naturali est vetita, neque vetari, quando est praecipita; ea enim debet esse legis civilis indoles, ut naturali ne vel in minimo adversetur, cum legislatori humano nulla ratione competere possit facultas, obligationem illam, quae per naturam omnibus hominibus antecedenter est imposita, tollendi, quippe quam aut habere deberet a DEO, quod statuere absurdum foret, cum sic DEUS sibi ipsi contradiceret, vel maiestatem suam potestati humanae subiecisse dicendus esset; aut a civibus per translationem iurium suorum accepisset, quod itidem stare non potest, cum id, in quo quis obligatus est, nullum ius dicat, quod



quod adeoque nec transferri potest. Non nego allegari posse exempla legum, a summis imperantibus latarum, quae obligationem civilem naturali obligationi contrariam, iniunxerint, qualis est illa Darii Mediar) sed non puto necessarium esse, ut pluribus ostendam, eiusmodi leges ne nomen quidem legum mereri. Patet autem ex haecenus dictis non dari iustum civile, quatenus officium denotat, quod honesto sive obligationi naturali possit esse adversum. Si vero iustum civile sumitur pro eo, quod per leges civiles licet, non inficiamur, multa in civitate licere utroque liciti significato, vel ut facultas agendi concedatur, vel ut aliquid impunitum maneat, quod cum honestate conciliari haud potest. Plurima hanc in rem allegari possent exempla, sed aliquot tantum adduxisse sufficiet. Sic veterum Romanorum legibus nemo ex pacto nudo tenebatur, licet manifestum sit, naturaliter per ea quoque perfectam contrahi obligationem. Sic etiamnum concedunt leges civiles facultatem recedendi a sponsalibus clandestinis, quae, si caeteroquin nullo defectu laborent, iure naturali firma et obligatoria esse nemo dubitabit. Sic feminae S^Cti Velleiani, sic filii familias S^Cti Macedoniani praesidio adversus

cre-

r) *Danish. Cap. VI, v. 7-9.*





creditores tueri se possunt, licet probe norint, se deliberato animo fidem suam adstrinxisse, neque de creditorum aliqua fraude vel iniquitate posse conqueri, quod quî legi naturae et obligationi ex ea prodeunti possit esse consentaneum, nos quidem non videmus. Nihil dicam de licentia, quae apud veteres Romanos dominis in servos concessa fuit, quaeque eò usque se extendebat olim, ut non potuerit non Legis naturalis praeceptis esse contraria. Insignem vero huius commatis exemplorum numerum collegerunt viri doctissimi, quos supra §. I. allegavimus, quos, qui plura scire desiderat, adire potest. Unicum tantum adhuc subiiciendum putamus, quod manifesto nobis esse potest documento, ex gentilibus quoque prudentiores agnovisse, potiore omnino habendam esse obligationem naturalem, quam ut ex lege civili permissiva ius nobis nasci posse existimemus ab ea discedendi. Quo nomine laudandus omnino est C. PLINIVS CAECILIVS SECVNDVS, quem iuniorem dicunt, quique tam sanctam habuit defunctorum voluntatem, ut religioni sibi duxerit, ab ea vel minimum recedere, licet ex iuris civilis dispositione fuerit irrita. Is cum a Concive Comensi heres scriptus esset, ea lege, ut quartam hereditatis partem patriae civitati traderet, etiamsi eo tempore irrita lege civili pro-



pronunciarentur legata civitatibus facta, nihilo tamen minus legatum persolvit. Qua de re ad CALVISIUM sequentem in modum scribit: *Hoc si ius aspicias, irritum; si defuncti voluntatem, ratum et firmum est. Mibi autem defuncti voluntas (vereor quam in partem Iuriconsulti, quod sim dicturus, accipiant) antiquior iure est.* Quem animum honesti tenacissimum aliis quoque occasionibus eiusdem generis demonstravit, uti id perspicui potest ex ipsius Epistolis. s) Quod dum de PLINIO refero, impetrare a me haud possum, quin elegantissimos venustissimi et acutissimi Poetae, qui Gallicas Musas in ipsam Germaniam introduxit, *Perill. DE BAR, versus, praeclaram hanc PLINII abstinentiam iustis laudibus exornantes, subiiciam.* Ita vero ist) canit:

*Profite qui voudra par des fautes semblables
Le volonte des Morts me seront respectables;
Que le Fuge prononce ou pour ou contre moi,
La loi du testateur est ma supreme Loi.*

*Quand je ne craindrois plus la vengeance
divine,*

*Voudrois je raisonner moins noblement que
Pline?*

*Ce genereux Consul refusa constamment
De trouver un defaut dans quelque Testament;*

O 2

Tout

s) *Lib. II. Ep. XVI. et Lib. IV. Ep. X.*

t) *Epitres diverses sur des Sujets differens
Tom. 1. p. 122. seqq.*



Tout Acte, sous ce nom, sacré pour ce
 digne homme,
 Eut toujours plus de poids, qu'aucun Decret
 de Rome.
 Ce Pline est mon Heros, ce Pline est mon
 Docteur
 Et si je dois citer encor un grave Auteur,
 Le Sage m'avertit de n'être pas trop iuste,
 J'en croirai Salomon, ce Conseiller auguste.

§. XVII.

Sed exoritur hic quaestio, an LL. Ci-
 viles concedere possint, quod Iuri Natu-
 rae est contrarium? ad quam accedit al-
 tera: quodnam pretium eiusmodi actioni-
 bus sit statuendum ex Iuris naturalis di-
 ctamine, quae civiliter quidem iustae vel
 licitae, sed tamen inhonestae sunt? Quod
 autem priorem quaestionem concernit, iam
 supra §. X. annotavimus, impossibile esse,
 ut legislator humanus omnia legibus defi-
 niat. Quae vero LL. civilibus definita
 non sunt, ea cuiusque arbitrio et pudori
 relinquuntur, adeoque non tam positive
 quam negative conceduntur, quod in iis
 actionibus contingit, quae ita sunt licitae,
 ut potius impunitate gaudeant, quam fa-
 cultatem aliquam in foro agendi produ-
 cant. Quod dum fit, nihil certe a LL.
 civilibus admittitur, cuius intuitu cen-
 suram mereantur. Neutiquam enim

eo fine sunt latae, ut legis naturalis observantia in toto suo ambitu eo certius obtineatur, sed ut paci internae in civitate et mutuae securitati prospiciatur. Ex quo fuit altera ratio, quae in eo consistit, quod LL. civiles iuris tantum perfecti tutelam pro obiecto habeant, cum e contrario in iis casibus, ubi aliquid civiliter licet, naturaliter vero inhonestum est, potissimum fermo sit de officiis imperfectis, quorum obligationem in casibus specialibus determinare non est res alieni, sed nostri arbitrii. Quando itaque quis ius suum perfectum potest demonstrare, iudicis humani non est, eum in illius exercitio impedire, licet forsitan obligatio naturalis illud irritum reddat, cuius quippe cognitionem humanum forum sibi vindicare non potest. Tandem cum totius societatis civilis interfit, ut de negotiis inter oves gestis et de contrahentium intentione constet, quod nisi fiat, inextricabilibus litibus implicarentur iisque obruerentur fora, mirum non est, quod legislatores quibusdam negotiis peculiare praescripserint solemnitates, quibus non observatis irrita et effectu civili caritura essent. Etiam si enim naturali obligatione subsistant, non tamen habet pars laesa, cur de negata sibi iustitia queratur, cum legum civilium praescripta insuper habuerit. Putem ex his satis constare, quod



LL. Civilibus id vitio verti haud possit, si non nulla concedunt, quae a Iure naturae negantur, neque hac ratione legislator humanus illam reprehensionem incurrit, de qua in antecedenti §pho sermo nobis fuit. Magis expedita est altera quaestio, ubi facile perspicitur, eiusmodi actiones omnino Legi naturali adversas esse, et licet nullum in foro humano reatum contrahant, non tamen eodem loco haberi in foro Dei, qui auctor vindexque Iuris Naturae est. Ipsae etiam rationes, quas ad priorem quaestionem resolvendam attulimus in medium, satis ostendunt, non ea propter hisce actionibus vel impunitatem vel etiam valorem in foro tribui, ac si aliquid bonitatis intrinsecae illis inesset, sed quoniam cum omnium communis utilitas id requirit, tum vero omnibus naevis e medio tollendis impar est respublica. Absit igitur, ut statuamus, actiones hoc sensu civiliter iustas sed simul inhonestas, a iure naturae vel probari vel tantum excusari, quippe quod potius docet, quae sic in foro soli licent, in foro poli non posse non damnari.

§. XVIII,

De duabus reliquis honesti et iusti acceptionibus ut dicamus, prorsus iudicamus superfluum. Etenim quando WOLF-

FIYS,

FRVS, honestum definit per *id, quod iuri naturali in genere convenit*, iustum autem *id dicit, quod obligationi perfectae respondet*, manifestum est, differre has notiones, ut genus et speciem, et iustum subordinari honesto. Cum vero quae competunt generi, necessario etiam competant speciei, dubitari non potest, quin iuxta hunc significatum nullum dari possit iustum, quod non simul esse debeat honestum. Tandem quod quintum honesti et iusti significatum adtinet, ubi iustum *id audit, quod in civitate licet*, priori honesti significatu retento, ostendimus iam §. XVI. id quod iustum in civitate diximus, nihil posse denotare aliud. Quae igitur ibi sunt dicta a nobis, ea heic iterum essent repetenda, Atque sic hanc quaestionem, uti putamus, satis perspicue exposuimus, ut appareat, iure naturali non dari iustum, quod non sit honestum, neque etiam dari secundum placita Iuris civilis, si iustum actionem moraliter bonam designare debeat. Qui vero iam ex his Brocardica illa, quorum in limine statim mentionem fecimus, explicari possint, id positis hisce principiis adeo est planum, ut in Benev. Lectores nostros iniurii essemus, si vel verbulum adhuc adderemus.



VII.

DISSERT.

De eo, quod licitum est, circa *instituentem*
Variolarum.

Tubingae, m. Octobr. MDCCLVII.


§. I.

Duplici via ingredi licet iis, qui in excolenda iuris naturalis disciplina suam collocare volunt operam. Aut enim in eruendis stabilendisque notionibus primariis et legibus generalibus versari possunt; aut etiam hanc tenere queunt rationem, ut legis naturalis decreta ad casus speciales et quaestiones singulares applicent. Illud quidem quam sit necessarium, latere potest neminem, cum nullius omnino usus futura esset iuris naturalis scientia, nisi primis, ex quibus conclusiones deducuntur, principiis sua constaret claritas atque firmitas. Hoc vero quantum habeat utilitatem facile intelligimus, si meminerimus, omnem iuris scientiam ad praxin tendere, neque eo fine addisci, ut habeat animus, quod contempletur, sed ut habeat, quod in actionum

num suarum directione sequatur. Quapropter semper fuerunt viri eruditi, qui utraque hac via disciplinae huic lucem aliquam affundere studuerunt. Non igitur inutilem nos operam impensuros esse existimamus, si, qui hactenus in dissertationibus a nobis conscriptis priorem potissimum viam calcavimus, iam altera etiam incedamus, argumentum tractaturi, quod uti sua se novitate, ita et gravitate atque ad complurimorum salutem late se extendente utilitate sua se commendat.

§. II.

Animus nobis est inquirere, quid circa variolarum insitionem, sive, quod recte etiam dicitur, inoculationem, iure naturali licitum sit. Multi quidem sunt, qui de hoc nostri aevi invento, monstri quid, ut videri multis posset, alente, cum per adscititium morbum morbo occurratur, et sanitati ex ipsius iactura consulatur, vulgatis in eam rem scriptis ex instituto egerunt, illudque vel historicis vel physicis atque medicis considerationibus illustrarunt. Neque etiam defuerunt, qui in moralitatem eius inquirentes theologico examini hoc argumentum subiecerunt. Nemo autem, quantum nos quidem novimus, ad Iuris naturalis decempedam hanc quaestionem hactenus data opera exegit, licet omni-



bus, quibus de insitionis variolarum moralitate sermo fuit, ad haec etiam principia fuisset recurrendum, utpote a quibus unice huius quaestionis decisio accurata est petenda. Persuasum igitur nobis est, nos actum non esse acturos, qui hoc argumentum sumus excussuri, quod eo est magis grave, quo certius per experientiam constat, huius remedii ope innumeros reipubl. servari posse cives, si evictum sit, legitime adhiberi illud posse.

§, III.

Uti vero in omni quaestione, ubi legis dispositio ad factum aliquod est applicanda, ante omnia ipsum factum secundum omnes suas circumstantias est expendendum, deinde quid lex vel iubeat, vel vetet, vel permittat ostendendum: ita pari ratione versandum nobis erit in huius argumenti tractatione. Exponemus itaque prius, quid experientia nos doceat de variolarum artificiosa insitione, quosque effectus sortita fuerit haec operatio, ea tamen lege, ut quae physici, vel medici, vel chyrurgici fori sunt, utpote a nobis aliena, neque etiam in moralem huius rei considerationem influentia, missa faciamus, annotatis iis tantum momentis, quae quaestionis fundamentum concernunt. Conferemus postea legis naturalis



ralls scita cum casu, de quo nobis sermo est, rite determinato, et ut omnia eo reddantur clariora, stabilita thesi, quae ipsi vel opposita sunt ab aliis, vel opposi posse videbuntur, cum in ipsa tractatione adducemus, tum strictim quoque adiciemus, atque dubia dissolvemus.

§. IV.

Infensissimum humanae vitae hostem esse, et luctuosissimis genus humanum stragibus nimis pro dolor frequenter affligere variolas, omnes uno ore consentiunt Medici, in diversas caeteroquin circa antiquitatem huius morbi abeantes sententias, aliis eum nec veteribus Graecorum Medicis HIPPOCRATI et GALENO incognitum fuisse cum *Cel.* HAHNIO asserentibus, aliis vero recentiorum ipsi originem tribuentibus, cumque per Saracenos ex Hispania in Europam omnem penetrasse contententibus, iisque longe plurimis. Quicquid vero huius sit, id certe dubium esse non potest, interesse totius generis humani, ut communis hic hostis profligetur, et salutarem artem nulla re universae hominum societati magis posse reddi salutarem, quam si certum aliquod morbo huic debellando remedium excogitarit.

§. V.

§. V.

At vero illud iam invenisse se putant plurimi in artificiosa variolarum insitione, invento longe certe curiosissimo, cuius vero natales ignoramus. Primus, qui huius rei mentionem publicam fecit, fuit EMANVEL TIMONIVS Constantinopolitanus, in universitatibus Oxoniensi et Patavina Philos. et Medicinae Doctor, Regiaeque Societatis Anglicanae Socius, qui a) morem hunc variolarum damna avertendi inter Constantinopolitanos usitatum descripsit, suasque adiecit observationes. Is quidem contendit, hoc inventum deberi Circassiis, Georgianis, Armeniis, aliisque Asiaticis gentibus, quae variolas per insitionem excitare consueverint, et a quibus illud per Graecos istas provincias peragrantes Constantinopolim fue-

- a) Litteris Ao. MDCCXIII. mense Decembri ad Cel. IOHANNEM WOODWARDVM vel quod *Collectiones Wratislavienses ad mens. Aug. 1717. pag. 185. seqq.* afferunt ad SAMVELEM DE SKRAGGENSTIERNA *Potentissimi Suecorum Regis Archiatrum* primario datis, et postmodum ex parte in *Transacti- onibus Philosophicis* Anno MDCCXIV. mens. Apr. Maii, Iunii, Numero 339. non minus, quam in *Actis Eruditorum Lipsiensibus* Ao. MDCCXIV. pag. 382. cum orbe erudito communicatis,

fuerit translatum. Sed ut verum fateamur, licet haec sententia plurimos nacta sit patronos, et elegantissimus **VOLTAIRIVS** ingeniose concipiat, excogitatum a **Circassii** fuisse hoc remedium non tam vitae quam potius pulchritudinis conservandae gratia, cum huic genti in more sit positum, ex formosis suis filiabus quaestum facere; nihilominus admodum dubia nobis videtur haec, quae variolarum insitioni tribuitur, origo. Quodsi enim recentioribus quibusdam relationibus **Constantinopolitanis**, *b*) fides est habenda, tantum abest, ut hoc inventum vel **Circassii** vel **Georgianis** vel aliis his vicinis gentibus adscribi possit, ut potius illae omnes hoc artificium etiamnum profunde ignorare sint dicendae, quod sanctae asseverasse refertur **Ordinis Capucinorum Monachus**, probatae fidei vir, ex illis regionibus haud ita pridem redux, in quibus per sedecim annos continuos vixit, atque ut eo majori cum securitate muneri suo vacare posset, medicinam quoque fecit, imo et ex variolis aegros tractavit, nulla usquam de huius artificii vel e longinquo mentione facta. Atque hae quidem recentiores relationes, quae plus **PYLARINO** quam **TIMONIO** fidendum esse pronunciant, hoc inventum originem suam ex **Thessalia** vel

Mo-
b) quae Tractationibus Philosophicis Tomo XLIX. insertae leguntur.



Morea ducere perhibent, cum, quae primum Constantinopoli artificiales variolas excitarat, mulier ex illis regionibus venerat; et qui post eam hanc artem exercuit, Bosnia oriundus erat. Verum haec quasi in transitu notasse sufficiat, cum ad instituti nostri rationem proxime non pertineant.

§. VI.

Quamquam autem iam inde ab illo tempore huius remedii praestantissima utilitas, Constantinopoli experimentis crebrioribus confirmata, litterario orbi innotuerat, nemo tamen in his terris fuit, qui eius rei periculum facere auderet, donec Anno huius seculi decimo septimo *Perillustri* WORTLEY Magnae Britanniae Regis ad Aulam Turcicam Legati Uxor magno animo est felicissimo successu filio suo variolas inferi curavit, quae postmodum in Patriam reversa plurimis quin et ipsi Magnae Britanniae Heredi, postmodum Reginae, immortalis memoriae Principi persuasit, ut exemplum, quod praeiverat, sequerentur, liberosque suos morbi huius artificialis beneficio a tam funestae luis saevitia immunes praestarent. Quotquot vero id sibi persuaderi passi sunt, non habuerunt, cur ipsos consilii huius poeniteret. Ita autem factum est, ut intra exiguum temporis spa-



spatium non in Anglia tantum, sed et in provinciis Anglicanis Occidentalis Indiae longe lateque variolarum insitio propagaretur.

§. VII.

Quoniam vero plurimum in eo situm est, ut qui huius remedii effectus fuerint, accurate constet, omnino necessarium erit, ut de eo speciatim quoque dicamus. Sequemur hac in re fidem KIRCKPATRICK Medici Anglicani. c) Audiamus, quae accuratus hic et attentus Observator notaverit. Is vero Anno MDCCXXII ex CLXXXVI. personis, quae variolas sibi inferi passae erant, duas tantum, deinde octo annorum spatio ex DCCCXCVII septendecim, in America vero ex CCLXXXII. sex fato functas fuisse asserit. Magis postea invalescente huius remedii usu in America A. MDCCXLVIII. in Carolina constanti lege ex LXXXIX. unam, in Pensilvania vero ex pluribus adhuc vix unam, et generatim ex IIIMCCIX. quae in omni America hoc remedium adhibuerunt, haud plu-

- c) Qui ante triennium ex instituto hoc argumentum tractavit in libro, cui titulum fecit: *The analysis of Inoculation, comprizing the History and Practice of it, with an occasional Consideration of the most remarkable Appearances in the Small Pox.*



plures quam XL. desideratas fuisse docet, cum tamen qui naturalibus variolis corripiebantur, ex XI. unum desiderarint. Postquam vero in Anglia hoc remedium maiori cum circumspectione et nonnisi ex sententia atque sub moderamine peritorum Medicorum usurpari coepit, testis est Cel. KIRCKPATRICK, ex M. quos suae curationi commissos habuit peritissimus DN. RAMBY nullum, et ex CXXXIV. iisque maximam partem adultis, qui in Nosocomio Londinensi, variolarum insitioni destinato, morbum hunc artificialem subierunt, pariter nullum decessisse; imo ex IVMCCLII. in omni Anglia sic tractatis vix decem fatis concessisse. Neque vero minus felici cum successu variolarum inoculatio in aliis quoque regnis instituta fuit. Passim enim prostant exempla, quanto cum fructu a Gal-
lis, a Batavis, ab Helvetiis aliisque idem remedium fuerit adhibitum. Imo vero ipsa quoque Germania nostra non uno tantum aut altero experimento sed pluribus, iisque in illustrissimae etiam profapiae personis institutis, inventi huius praestantiam atque utilitatem summam nihil finitri passa confirmavit.

§. VIII.

Ex iis, quae haecenus diximus, iam nonnullas deducemus consequentias, ut eo
cla.

clarius pateat ad quid respiciendum nobis sit, quando ex Legis naturalis praeceptis decidenda est quaestio: an Variolarum infectio sit licita? Agedum videamus, quid experientia nobis subministret, cui inniti tanquam alicui fundamento possimus.

§. IX.

Inferimus autem ex iis, quae superius sunt posita: I. Naturales variolas perquam esse exitiosas, et secundum observationes a viris prudentissimis institutas decimam fere hominum partem funesta hac lue absumi, §. IV. et VII. cui adiungimus, perpaucos omnino esse homines, qui eadem experientia teste ab hoc communi malo immunes maneant. Cl. rissot d) contendit, vix quintam et vicesimam hominum partem eo gaudere beneficio, ut variolarum morbo laud sit obnoxia II. Inde deducimus, infectias sive artificiales variolas adeo esse benignas, ut absque singulari periculo subiri possint etiam tum, ubi methodus eas dextre tractandi non admodum solícite observatur, cum ex e-

d) in sua *defensione Inoculationis variolae* a Cl. DN. FRIDER. SIM. MORGE STE NO, Med. Doct. in vernaculam linguam translata et annotationibus illustrata, *Señ. V. §. ar. pag. 42. edit. germ.*

P



rientia fidem faciat, in hoc etiam casu
 ex centum hominibus hoc remedio uten-
 tibus uni forsan quid sinistri metuendum esse,
 §. VII. atque hac quidem lege decies
 plus esse periculosum, naturalibus vario-
 lis se exponere; quam per artificiales il-
 lis occurrere. III. Inde fluit, omne pe-
 riculum tantum non penitus tolli et ces-
 sare, si periti et prudentes Medici in au-
 xilium vocentur, qui et definire queant,
 utrum consultum sit, eam curationem in-
 stituere, et, quomodo cuni praeparandi,
 tum postmodum quoque tractandi sint ex
 hoc morbo aegri, probe intelligunt §. VII.
 Plurimum enim interest, ante susceptam
 variolarum insitionem nosse, qua quis
 utatur valetudine, an corporis quodam
 vitio laboret, quod accedente hoc artis
 ificiali morbo, licet in se leni et benigno,
 tamen exasperari possit; ita ut mors,
 quae sensim forsan ex eo fuisset secutu-
 ra, magis etiam acceleretur; ut nihil di-
 camus de aliis cautelis, quae tunc quoque
 sunt observandae, ubi firma et prospera
 sanitate gaudent, qui variolas sibi inferi
 cupiunt. De his enim ii, qui de arte va-
 riolas inferendi ex instituto egerunt, co-
 piose praecipere solent. Ex hac vero
 consideratione prona consequentia fluit,
 non omnes sinistros effectus, qui variola-
 rum insitionem nonnunquam comitan-
 tur, remedio huic adseribendos esse. Quod si
 enim

enim nulla cum circumspectione instituta
 est insitio, non magis profecto, si luctuosi
 quid accidat, arti huic et remedio illud
 vitio dari potest, quam praestantissimis me-
 dicamentis, quorum virtuti nihil detrahi-
 tur, si sinistre propinata tristes nonnun-
 quam effectus fortiuntur. Illustre eius rei
 exemplum prostat in SVNDERLANDIO, cuius
 mors variolarum insitioni in Anglia plu-
 rimum obfuit, quam tamen aequi rerum
 arbitri nunquam huic remedio adscripse-
 rint, cum certum sit, eum, extrema
 phthisi languentem, spreto omnibus Me-
 dicorum consiliis, variolas sibi inseri
 iussisse.

§. X.

Praeter has vero, quas experientia
 nobis suppeditavit observationes, alia
 quoque est adiicienda, quae haud minus
 experientiae certo et indubitato testimo-
 nio nititur. Scilicet facile cuivis incurrit
 in oculos, nihil profuturam esse variola-
 rum insitionem, si post eam nihilominus
 adhuc metuendae essent naturales variolae.
 Quid enim, hoc si ita esset, lucrarentur
 ii, qui variolas sibi inseri paterentur, nisi
 id fortassis, ut bis illi malo subiicerentur,
 cum forte fortuna semel tantum eo fuis-
 sent mulctandi? Quodsi igitur aliqua vario-
 larum insitioni tribuenda est utilitas, id

P. 2

pro-



profecto per eam debet praestari, ut ea defuncti a naturalibus variolis per omnem vitam reddantur immunes. Rem vero ita se habere experientia quam luculentissime demonstrat. Ut enim taceamus, plurimos Medicos in ea esse persuasione, ut ne naturales quidem variolas pluries vel bis tantum redire posse existiment, omnibus in contrarium exemplis, quorum tamen paucissima extant, pro falsis atque haud sufficiente exploratione nixis declaratis, per artificiales adeo omne virus in corpore humano latens, quod huius luis fomes est, exhauririprehenditur, ut frequentissimis ea de re institutis tentaminibus, nunquam tamen post insitionem novae neque artificiales variolae provocari vel excitari potuerint. Cum plurimos eius rei testes allegare possumus. Cel. IVRINVS, Anglus, e) fidem facit, nihil non tantum fuisse in iis, qui per insitionem curati erant, ut pateret, an variolis tribui possit reditus: eos aegris ex hoc morbo saepius fuisse admotos, quin et in eundem cum illis lectum coniectos; insitionem in illis fuisse repetitam; et in iis quoque, qui naturales variolas iam sustinuerant, per insitionem hunc morbum denuo

e) in libello in Gallicam linguam translato, sub titulo: *Relation du Succes de l'Inoculation, traduite de l'Anglois par Mr. NOYEZ, Medecin à Paris, pag. 9. et 11.*

denuo fuisse provocatum, at frustraneo in his omnibus effectu. f)

§. XI.

Atque haec iam sunt ista, quae circa ipsum factum, ad quod lex naturalis applicanda est, annotanda nobis videbantur. Aditus nunc nobis patet ad ipsam quaestionem decidendam, utrum variolarum insitio licite adhiberi possit nec ne? Licetum autem generaliter dicimus id, quod legi non repugnat; cumque omnes leges sint vel prohibitivae vel praeceptivae, praeceptivarum vero legum ea sit natura,

P 3

ut

f) Idem quoque confirmant Cel. KIRCKPATRICK in libro supra allegato pag. 119. Cl. CAROLVS CHAIS in *Essai apologetique* pag. 55. *seqq.* et Cl. MATY in *Journal Britanique* Mois de Nov. et Dec. 1754 Art. 1X. pag. 424. cuius observationes nobiscum communicavit quoque Cel. DE IVSTI in *Neuen Wahrheiten zum Vortheil der Natur-Kunde im VIII. Stücke*, S. 166. Addi his potest quoque Cel. ROEDERER Prof. *Gosttingensis*, qui dissertationem nuper demum edidit, quaestionem excutientem: *Utrum naturalibus praesent variolae artificiales?* in qua vir doctissimus id, quod a posteriori demonstrarunt alii, a priori quoque adstruit, simulque eos recenset, qui de variolarum insitione scripserunt.



ut et necessitatem moralem actum praecipuum perficiendi inferant, et respectu actus contrarii prohibitionem in se contineant, consequens est, id quod legi praecipivae non repugnat, eminenti sensu licitum esse, quemadmodum omne id, quod legibus non est vetitum, simpliciter licere dicitur. Quaestio itaque a nobis resolvenda huc redit; an sit aliqua lex naturae, quae prohibeat, quo minus homines variolarum insitione, prout haecenus descripta est, utantur?

§. XII.

Convenit autem inter omnes Philosophos, qui Ius naturale ex instituto tradiderunt, universas Leges naturales ad tria revocari posse capita, tamquam principia specialia, e quibus reliquae ex suis fontibus promanent, neque quicquam dici posse legi naturali adversari, quod non in has leges universales impingat. Eas vero his comprehendunt propositionibus; DEum cole; te ipsum conserva; socialitati stude. Quae leges licet sint praecipivae, tamen respectu actuum oppositorum prohibiviarum quoque naturam induunt. Quodsi itaque ostenderimus, variolarum insitionem nihil in se continere, quod his praecipis adversetur, patebit quoque, licitum iure naturali esse eiusdem usum.

§. XIII.

§. XIII.

Nihil omnino in se habere videtur variolarum insitio, quod cultui DEO debito sit contrarium. Cum enim cultus divinus in eo sit ponendus, ut actionum nostrarum motiva desumamus a perfectionibus divinis, neque vero in variolarum insitione quicquam reperiatur, ex quo huic obligationi obstaculum oriatur, vix fieri poterit, ut adversus hominis erga DEUM officia impingat. Facile largimur, dicent insitionis patroni, eam non esse actum, qui ex motivo a perfectionibus divinis directe petito proficiatur, adeoque nec ut partem cultus divini considerari posse, verum neque est, cur quis dicat, actum hunc fluere ex motivo perfectionibus divinis contrario. At vero tamen heic dubio videtur esse locus, et insitioni minus faventes regerent, qui variolas sibi inseri patiuntur, id agere, ut se providentiae divinae subtrahant, proderent illos defectum fiduciae in bonitate et sapientia divina collocandae, et, cum morbi rationem poenarum naturalium habeant, ipsam iustitiam DEI, quae illas infligit, offendi, quando eas vel amoliri, vel etiam mitigare tantum studeamus. Facile autem haec diluuntur, licet non desint, qui multum roboris hisce argumentis inesse arbitrantur. Qua enim, quaeso, ratione, qui variolas



artificiales adhibent eo fine, ut a naturalium funestis communiter effectibus sibi caveant, providentiae divinae subtrahere se velle dici possunt? Nonne eadem omnino ratione qui morbo alicui graviore per salutaris artis subsidia occurrit, in providentiam iniurius esset dicendus? Quis vero tulerit eum in modum ratiocinantem, nisi Turcicae superstitioni addictus fuerit, quae gens providentiam cum fato stolide confundit, et eam ipsam ob rationem insitionem variolarum in Metropoli sua cumprimis exultam nunquam usurpavit? Nemo non saniozem philosophandi rationem edoctus novit quoque, ita DEum mundo providere, ut eventus humanos nulli ferreae necessitati adstrinxerit, aut humano generi facultate suae saluti secundum prudentiae regulas consulendi interdixerit. Deinde equidem nescio, quam ob causam insitio variolarum adhibita pro argumento vacillantis fiduciae in DEum collocandae habere possit. Itane ergo DEus eiusmodi postulat fiduciam, quae mediorem ad nostram salutem facientium prorsus sit incuria? Hoc si admittimus, impium est serere, et quid non praeterea? Maior enim erit fiducia, si cibum iam praeparatum, per miraculum nobis suppeditandum, expectaverimus. Ea vero fiducia DEO erit grata, quae in usum suum conversis omnibus,

quot-



quotquot praesto sunt, mediis, nihilominus tamen id, quo potiri gessit, in beneficiis DEI reputat, et a bonitate ipsius id quidem obtinere sperat, contra ipsius vero sapientiam neque consequi vult. Ultimum argumentum, quod opponitur, per se etiam corrui. Instituti nostri ratio haud fert, ut discutiamus, an et quatenus morbi poenarum rationem habeant; quapropter sufficere hic notasse, eodem ratiocinio, si validum pronunciaretur, et evinci posse, in nullis morbis licite adhiberi remedia posse, quod tamen asserere ausus est nemo, cui sanum fuit sinciput.

§. XIV.

Magis forte difficile erit infectionis variolarum patrocinium, si ea cum altera lege generali, quae studium nos conservandi iniungit, conferatur. Omnia quidem plana et in vado sunt, quamdiu illa habetur pro medio conservandae vitae. Cum enim homini imposita sit obligatio sui conservandi, et ius ad finem ius ad media tribuat, non potest non inde sequi, ut hic quoque modus suae salutis prospiciendi licitus sit ac legitimus, cum adversus variolarum naturalium gravissimam pestem nullum in promptu sit remedium aequae sufficiens. Sed alia quoque praeterea instituenda est consideratio, cuius quidem

P §

et

et ad antecedentem iam paragraphum rationem habere potuiffemus, quam tamen ad hunc locum, ut magis adaequatum, recitare maluimus. Recte scilicet, quae hactenus a nobis prolata fuerunt in medium, ad tuendam variolarum insitionem, recte inquam, haec omnia dicerentur, si illa esset medium avertendi mali et conservandae vitae falli nescium. At vero nosmet ipsi facti sumus superius §. VII. haud paucos hoc remedio usos maturiori fato decessisse, quam naturalis ordo id exigere videbatur. Ponamus octogesimo, vel etiam centesimo tantum cuique ex variolis artificialibus occumbendum esse, cum tamen ex naturalibus fere decimus quisque fato fungatur. Insignis haec prorsus est disparitas, sed nodum non videtur solvere. Quodsi enim iam ego fuerim is centesimus, cui moriendum est ex variolarum insitione meo arbitrato suscepta, ane mihi, morte iam appropinquante, eodem frui liceret solatio, quo gavilurus essem, si absque mea opera in hunc morbum incidissem? Nonne est, cur et meam mihi exprobrem stultitiam, et praeterea quoque metuum, ne DEUS iura in vitam meam sibi soli competentia, et a me violata, graviter ulciscatur? Multa cum specie haec obvertuntur, neque tamen non possunt resolvi. Primo autem loco monendum est, haec poni tantum, ne-

tquam

aliquam vero concedi. Ex superioribus enim et ipsa dicta paragrapho constat, non vitio remedii, sed medentium potius vitio fieri, ut nonnunquam minus ex voto succedat haec operatio. Quis vero religioni sibi duxerit, et peccato se obstrinxisse existimarit, si praeservandae valetudinis gratia medici auxilio usus atque ab eo sinistre tractatus diem oppetit supremum? Sed demus hactenus ipsius quoque huius remedii vitio ex accidenti quodam, quod praevideri nulla humana arte potest, (per se enim illud mortiferum esse, nemo ne somniabit quidem, tot salutaribus effectibus contrarium demonstrantibus,) maturari nonnunquam fatum, an ea propter licite adhiberi haud potuerit? Equidem nullus dubitem, posse adhiberi. Rationes sat graves sunt in promptu. Nullum quidem homini competit ius in vitam suam eo sensu, ut eam perdere directe posset. Quis vero negarit, competere illud ipsi eo sensu, ut ad removendum maius, vel potius certius periculum exponere, illam possit minori sive parum probabili tantum? Omnes porro consentiunt, eos non censendos esse involasse in iura Dei, qui vitae genus elegerunt probabilem maturiori fato occasionem daturum, eo si e, ut humanae societati inserviant. Qui igitur et recte egisse existimandi sint, ut non aliorum, sed sui et suae vitae con-
 fer-



servandae gratia medium elegerunt, non probabilem sed decies minus probabilem maturiori fato occasionem daturum, quam si id non elegissent, seque ordinario naturae cursui permisissent. Denique cum rerum moralium aestimum plurimum pendeat ab animi intentione et finis, quem sibi proposuit, rectitudine, manifestum est, eos omnes, qui variolas sibi inferi curant, nullum alium sibi praefixum habere scopum, quam ut vitam suam conservent, atque hunc quidem scopum legi naturali esse longe convenientissimum. Qui itaque censerent egisse contra legem: Te ipsum conserva? Uti vero haec haecenus ex hypothesi tantum disputavimus: ita secundum ea, quae §. IV. IX. et X. stabilivimus, omnis plane difficultas evanescit. Exitiosissimus morbus sunt variolae naturales. §. IV. Homini igitur, ad sui conservationem ius non tantum habenti sed et obligationem, competere quoque debet facultas medium eligendi certissimum et tutissimum, quo huic morbo occurri possit. At vero variolae insititiae sistunt nobis eiusmodi medium, quod est certissimum §. X. et si peritis in arte medica viris hoc negotium demandetur, tutissimum §. IX. num. III. Hinc omnino homini ius quoque debet esse, variolis insititiis utendi.

§. XV.



§. XV.

Postquam vero ostendimus, adversari variolarum insitionem neque officiis nostris erga DEum, neque iis, quae in nobismet ipsis terminantur, facili quoque negotio probabimus, nihil ei inesse, quod tertio officio generali de socialitate custodienda repugnet, quin potius mirifice eidem cum ea convenire. Quum enim societatis humanae multum intersit, ut quam plurimi sint, qui se invicem mutua benevolentia iuvare queant, et vero variolarum insitio hoc potissimum nomine se commendet, quod innumeros societati cives conservet, nullum superesse potest dubium, eam adeo non refragari huic officio, ut potius amicissime cum eo conspiret. Verum et hic sunt, qui inventum hoc perosi invenisse se putant, quod nobis obiiciant. Ita vero suos subducunt calculos, ut dicant, negari haud posse, artificiales variolas haud minus ac naturales eius esse indolis, ut ex contagio communicentur aliis. Quodsi igitur quis variolarum naturalium lue per insititias a se voluerit arcere, accidere omnino posse, ut malum illud sic longe lateque se extendat, et, dum unus servatur, rempublicam ex multorum civium interitu insigni clade afficiat. Id vero cum primis socialitatis studio adversari, ut commoda nostra cum aliorum eorumque
nihil



nihil eiusmodi meritorum incommodo summo promoveamus. Respondere ad haec possemus, non habere alios, cur de nobis conquerantur, quando morbi nostri contagio corripuntur, cum et vitare nos possent, et nihil eos impediat, quo minus eodem adhibito remedio salutis suae prospiciant; sed malumus hac vice nostram facere responsionem *Cel. TISSOT*, cuius supra meminimus, qui in libello supra allegato pag. 117. huic obiectioni sequentem in modum occurrit. Duo autem sunt, quae regerit. Primo enim negat, cuiuscunque generis variolas ex contagio proprie sic dicto communiter propagari, et huius rei causam ex aeris potius vitio repetendam esse contendit. Cui addit nec Londini nec Genevae per variolarum inoculationem hunc morbum in alios quoque fuisse translatum. Deinde, si vel maximae hoc etiam concedendum esset, non tamen existimat, eapropter variolarum insitionem proscribendam esse, ea potissimum de causa, quoniam multo minus periculi habiturae essent variolae sic aliis communicatae, quum scilicet variolarum insitio institui nunquam soleat, nisi faventissima tempestate nullisque grassantibus morbis epidemicis, et certum sit, aëris intemperiem et aliorum quoque morborum confluxum cum primis variolas exasperare. Hinc beneficii potius loco habentur

bendum esse pronunciat, si ex insitione communicentur variolae, cum si, qui ex contagio sic morbum hunc contrahant, indubie proxima occasione, eaque haud profecto auspicata futura, redeunte scilicet variolarum naturalium periodo, ab hac lue fuissent corripendi.

§. XVI.

Quandoquidem iam ex iis, quae hactenus adduximus, sufficienter apparet, nihil in variolarum insitione reperiri, quod legibus naturalibus primariis sit adversum: cum fiducia nunc pronunciare possumus, licitum omnino iure naturali esse huius remedii usum. Equidem facile largior, a temeritatis nota neutiquam absolvi, neque recte egisse statui posse eos, qui primi variolarum insitionis periculum fecerunt, vitamque vel suam vel aliorum Instituto hoc tentamine praesentissimo discrimini exponere veriti non sunt, nisi simul quoque statuatur, eos vel profundissima morborum et naturae humanae cognitione praeditos ex theoriae certissimis et indubitatis principiis convictissimos fuisse, fieri non posse, quin hoc remedium salutarem nanciscatur effectum, vel summi cuiusdam imperantis iussu, cum probabile visum esset, posse illud esse saluti, in reis ad mortem condemnatis experimentum eius rei



rei egisse, quod posterius in Anglia quoque factum esse novimus, postquam vario arum insitio ibi innotuerat; ipsi autem primae eius inventioni alterutrum horum occasionem dedisse, quam maxime nos quidem dubitamus. Caeterum id animo nobis constitutum haud erat, in huius argumenti tractatione prolixè in id quoque inquirere, an et quatenus primum insitionis variolarum periculum licite institui potuerit? Sufficiet itaque heic ostendisse, quod huius remedii, per innumera iam tentamina et experimenta confirmati, usus iuri naturae non sit contrarius.

§. XVII.

Duae vero adhuc se nobis offerunt quaestiones, ad hoc argumentum omnino pertinentes, ad quas paucis quoque erit respondendum, cum, quae superius iam sunt stabilita, earum resolutioni viam sternant planissimam. Quaeri videlicet potest, an parentibus tribuenda sit potestas, hoc remedio in liberis quoque suis utendi, et an habeant, quod sibi ex conscientiae religione exprobrent, si minus felix et exoptatus ei respondeat successus? Clarum vero est, non esse posteriori dubio locum, si prius fuerit sublatum, cum nemini vitio verti possit actio prospero successu destituta, quae tamen et legitime

et



Et ex prudentiae regulis fuit suscepta. Non vero denegari posse parentibus hancce potestatem facile ex eo intelligitur, quoniam nullum alium in finem variarum insitio adhiberi solet, quam ad vitae conservationem, parentibus autem, ad vitam liberorum omni modo conservandam obligatis, ius quoque esse debet ad medium, quo finis ille optime poterit obtineri. Neque obstat, hoc tamen medium non esse falli nescium. Ut enim silentio praetereamus, quae superius §. XIII. et XIV. iam sunt monita, neminem fugit in iis, quae ad res humanas, et ipsius quoque cum nostrae tum nostrorum vitae conservationem pertinent, multa imo vero tantum non omnia secundum ea, quae maiorem habent probabilitatem, esse suscipienda, omnesque moralis disciplinae doctores consentiunt, eum, qui iuxta conscientiae probabilis dictamen sententiam probabiliorem secutus fuerit, non habere, cur scrupulosae conscientiae sollicitudine moveri se patiatur. Praeterea vero quam maxime attendendum est ad id, quod frequens experientia nos edocet, si circumspicte adhibeatur hoc remedium, vix ac ne vix quidem fieri solere, ut successus spei nostrae haud respondeat. Ex quo sequitur absque omni ratione parentibus de liberorum suorum salute sollicitis metum incuti, si et circumspicte variolas inserendi me-

Q

the-



thodus, ut periculosa illis describatur, cum tamen, ubi provide et cum cura omnia fiunt, nec periculum aliquod sit extimescendum, nec casus fere unquam existat, ut quaestio illa altera, quam proposuimus, moveri possit. Quin potius, si de eo, quod ex conscientie dictamine faciendum est, quaeritur, nos quidem existimamus, cum tanta huic remedio insit salubritas, magis eos debere angi, qui liberos suos ex naturalibus variolis amittunt, quos per artificiales servare potuissent, quam qui his usi rarissimo exemplo eorum iacturam faciunt. Hoc enim casu certissime norunt, illis et ex naturalibus, licet forte paululum ferius, pereundum fuisse, illo autem casu id solatii habere nunquam possunt.

§. XVIII.

Quaeri etiam posset, quid Principi liceat circa introductionem huius remedii in suis terris? sed facile quivis perspicit, omnino laude dignissimam esse curam hanc, quae suscipi potest a summis imperantibus, pro conservatione innumerarum civium suorum multitudinis. Observavit *Illustris DE VOLTAIRE*, cum Ao MDCCXXIII. Lutetiis Parisiorum immanem in modum saevirent variolae, infitionis ope viginti millibus hominum vitam conservari potuisse. Qua igitur re magis Partis patriae prae-

praeclarissimam appellationem mereri potest Princeps, quam si remedio adeo salutari promovendo suam etiam admovet operam. Non est, cur quaeramus, an heic et coactioni sit locus, cum ipsa rei indoles et natura eam respuat, et vel solus metus sufficiat, ad saluberrimi etiam remedii efficaciam, non minuendam tantum, sed et abolendam et in effectus contrarios convertendam.

§. XIX.

Pedem heic nobis liceret figere, nisi instituto nostro conveniens iudicaretur, novo cuïdam Inoculationis adversario occurrere, qui superiori demum anno in Gallia, haud vulgato nomine suo adversus hoc remedium insurrexit, eiusque usum et impium et legibus adversum declarare non est veritus. Ipse quidem hic libellus ad manus nostras non pervenit; cum vero satis ampla recensio eorum, quae continet, inserta sit Commentariis Trevoltientibus, g) ex hac eius epitome, quae obiiciat, adducemus, eaque sub examen vocabimus. Oppositus vero est hic libellus, qui inscribitur: *L'inoculation de la petite-verole,*

Q 2

defe-

g) Qui iam prodeunt Parisiis sub titulo: *Memoires. pour l'histoire des sciences et des Beaux Arts,* et quidem *Volum. I. ad Januar. mens. Art. VI. pag. 117.*



déferée à l'Eglise et aux Magistrats, Celebrissimo DN. DE LA CONDAMINE Regiae scientiarum Academiae Socio, qui nupero scripto inquisitionis patrocinium in se susceperat; et quoniam haud pauca ex iis, quae momentur dubiis, et in antecedentibus iam a nobis fuerunt allegata et discussa, eorum tantum habebimus rationem, quae novi quid afferre videbuntur.

§. XX.

Admodum ridiculum est, et cucillum sapit, quod primo loco in variolarum inquisitione reprehendit, et ex quo probare vult, originem eius adeo esse turpem, ut neuiquam deceat hominem Christianum et Ecclesiae maxime Romanae-Catholicae addictum, hoc remedio uti. Exprobrat ei natales, quos prorsus putat infames, sententiam eorum secutus, qui sibi persuadent, inventi huius originem deberi cupiditati quarundam gentium barbararum, ex formae venustate et pulchritudine quaestum turpem faciendi, quod superius iam §. V. infirmo prorsus talo niti ostendimus. Addit his, haud minus turpem esse eius propagationem, cum ex natali suo solo transierit ad infideles Muhamedanos, ab his ad graecae Ecclesiae haereticos, quibus anglicani postmodum successerint. Sed audiamus ipsum nescio an
 * ine-

inepte magis quam acerbe declamantem. Quelle naissance, quelle education? ita e clamat zelo scilicet sacro abreptus. Des peuples barbares, sans religion et sans moeurs. — Un autre peuple, chez qui la superstition et l'amour de la singularité ont l'air de la religion et de l'humanité, une nation flottante dans une multitude de grossières erreurs, — Une autre nation plongée dans de scepticisme, — qui réduit sa foi, ses moeurs, au calcul et aux avantages temporels; une republique qui donne asyle indifferement a tous les cultes. — Ce sont-la les modeles, que l'on nous propose d'imiter dans une affaire ou la conscience et la loi divine peuvent avoir un interet sensible. Que reste-t-il de plus a nous persuader, que c'est chez ces peuples, que nous devons choisir des Medecins pour nos ames avec autant de confiance, que nous en appellons des chez eux pour se iouer de nos vies? Nescio an haec verborum pompa cuiquam possit imponere? Mihi quidem haec omnia adeo videntur elumbia et misera, ut ea recitasse sit refutasse. Quis enim unquam praestantiam alicuius inventi ex sacrorum puritate eius gentis, a qua profectum est, metiendum esse putavit.

§. XXI.

Sed iam firmioribus telis procul dubio arcem causae est invasurus. Audiamus igitur

Q 3



igitur alterum argumentum. Id vero in eo consistit, ut iis, qui infitionis effectus descripserunt, singulari audacia omnem fidem deneget. Nimiis ex ipsius sententia hoc remedium laudibus effertur, quam ut eius patroni non censendi sint modum excessisse, et ex partium studio sinistros eventus celasse. At vero facilis ad haec est responsio. Nos quidem lubentes concedimus, dubio alicui locum futurum, si hoc remedium ab uno vel paucis tantum, iisque eiusdem loci vel gentis hominibus, tantis laudibus eveheretur et depraedicaretur, vel etiam si inde ab exiguo tempore tantum instituta essent experimenta. Quum vero et Anglia et Hollandia, et Helvetia, et Gallia, et Germania, imo et ipsa America eius rei documenta longe luculentissima nobis sistant; quum scriptores quamplurimi diversissimarum gentium uno ore idem testentur, et in extollenda hoc remedio consentiant; quum porro non nudius tertius demum, sed inde a quadraginta fere annis hoc remedium, per frequentissima tentamina secundum suas et virtutes et defectus fuerit exploratum: nae eum graviter oportet esse impudentem, qui omnibus hisce suam incredulitatem tanquam Achillaeum argumentum opponere audeat.

§. XXII.

Maioris ponderis esse videtur, quod
 ulterius opponit, quoque magis utilitatem
 huius remedii labefactare studet, quam
 ostendit, usum eius esse illicitum, licet
 sub initium statim fidem dederit, se can-
 cellos controversiae moraliis non esse trans-
 gressurum. Possemus ex hac ipsa ratione
 argumenti huius resolutionem tanquam ad
 nos institutumque nostrum non pertinen-
 tem ad medicorum tribunal ablegare.
 Ne tamen videamur eorum tantum ha-
 buisse rationem, quae nullius plane mo-
 menti erant, paullo autem difficiliora sub-
 terfugisse, sicco pede hoc dubium prae-
 rere nolumus. Ita vero Anonymus no-
 ster ipsitionis utilitatem impugnat, ut ne-
 get, quod huius remedii fautores urgent,
 funestissimum et periculosissimum esse ma-
 lum variolas naturales; cumque probe
 sentiat, experientiae testimonia longe fir-
 missima sibi obtare, in eo asserto suo
 praesidium quaerit, ut omnes illas luctuo-
 sas strages, a variolis subinde editas, non
 tam morbi huius malignitati quam meden-
 di methodo perversae a Medicis commu-
 niter adhiberi solitae adscribendas esse
 contendat, et summae auctoritatis viros
 SYDENHAMIOS, BAGLIVIOS, suis suffragiis
 hanc sententiam confirmare dicat. Quam-
 vis autem nos facile concedendum pute-
 mus,



mus, plurimum damni a sinistra medendi methodo fluere, id ipsum tamen, quod in methodo hunc morbum curandi tam facile errari possit, manifesto est argumento, eum summae esse malignitatis, neque videmus, quid inde adversus utilitatem infectionis inferri possit, cum ipsius praestantia nihilominus inconcussa maneat, dummodo constet, quod negari haud potest, per eam huius morbi pericula tolli, sive ea deinde ipsius morbi malignitati sive medendi methodis haecenus adhiberi solitis tribuantur. Quae praeterea ab hoc Anonymo proferuntur dubia, cum a providentia divina, tum a iure hominis in vitam vel corpus suum petita, cum superius §. XIII. et XIV. iam a nobis fuerint discussa, nihil adinet heic repetere.

T A N T V M,

VIII.



VIII,
DISSERT,

De Iustis Iuris Bellum gerendi et inferendi Limitibus.

Tubingae. m. Sept. MDCCLVIII.

§. I,

Quum omnia belli strepitu personent tristissimis hisce, quae vivimus, temporibus, nemo forsitan erit, qui miretur, in excutiendo eius generis argumento aliquam abs nobis poni operam. Quantumvis enim musae soleant esse pacificae, et a bellicorum tumultuum violentia abhorreant, nihil tamen impedit, quo minus inter ipsos armorum strepitus in pacatis suis asylibus delitescentes, suavissimoque otio litterario fruente, quae ad bellum pertinent, iura suae meditationi subiiciant. Neque tamen sumus nescii, suis hoc argumentum difficultatibus haud profecto exiguis laborare, et nostris maxime temporibus



ribus summa cum circumspectione a nobis esse tractandum, ne inter gentes armis infestis invicem decertantes iusti et iniusti arbitrium arrogare nobis videamur, a qua quidem temetitate quam maxime sumus alieni. Apprime enim novimus, privatorum non esse, de controversiis summorum imperantium, qui Deum solum iudicem habent, sententiam ferre, multo autem minus eorum, qui academicam agunt vitam, a publicorum negotiorum cognitione longissime remotam; quum nec ab iis facile certi quid statui atque decerni possit, quibus occasio non deest, arcana Principum scrutandi, et in tabularia eorum secretiora penetrandi. Parum quidem difficultatis habet, thetice definire, quid Ius naturae de bello inferendo praecipiat, at vero illa deinde ad casus singulares applicare, hoc opus hic labor est. Absit, ut posterioris generis investigationi immisceamur, quibus constitutum tantum est, priori modo hoc argumentum excutere. Neque est, cur dicas, actum nos acturos, qui cramben toties coctam recoquamus. Quodsi enim nobis non adeo licuerit esse felicibus, ut multum novi afferamus in medium, forsitan id meriti loco censebitur, quae vel fusius vel obscurius vel sparsim etiam dicta sunt aliis, una et clarius et strictim exposuisse.

§. II.

§. II.

Primo autem loco ostendendum videtur esse, quid belli nomine veniat, ut eo magis constet, de quo quaestio nobis sit instituta. Perinde vero est, sive quis a) *Bellum* dicat *statum per vim certantium, quales sunt*, sive illud b) *per statum hominum, in quo unus ius suum vi persequitur adversus alterum*, definiat, sive etiam suam facere velit definitionem CANZIANAM c) cui *bellum* dicitur *status gentium, quo per vim sibi mutuo derogant*. Eodem enim ferme redeunt omnes hae definitiones, licet priores duae hanc ideam, secus ac ultima, paulo generalius consideratam exhibeant, et sola media finis meminerit, qui recte in tuendo iure ponitur.

§. III.

Bellum igitur gerere dicendus est is, qui *ius suum vi persequitur*; quumque *Ius* dicat *facultatem moralem ad aliquid agendum*, facile intelligitur, in qua *ius bellum gerendi* sit

- a) eum CIGERONE *Offic. Lib. I. Cap. II. et HUGONE GROTIQ de Iur. Belli ac Pacis. Lib. I. Cap. I. §. 2.*
- b) cum CHRISTIANO WOLFFIO *Iur. Nat. Part. I. Cap. III. §. 1102.*
- c) *Discipl. Moral. Tract. I. Sect. I. Cap. I. §. 173.*



fit ponendum, de quo iam iam acturi sumus ita, ut ostendamus; intra quos illud ex praescripto legis naturalis contineatur terminos. Vulgo quidem bellum dividitur in *offensivum* et *defensivum*, atque is bellum inferre dicitur, qui offensivo bello decertat, hoc est, qui ob iniuriam vel illatam vel inferendam primus alterum armata vi adoritur, cum e contrario bello se tueri dicatur, qui armis defensivis utitur, hoc est, qui vi bellicae iniuste sibi illatae vim opponit, et armis arma repellit. Sed licet pro diversa hac acceptione belli vel offensivi vel defensivi de utriusque et iure et limitibus agendum nobis sit; tamen cum parum difficultatis habeat, pronunciare, quid in bello defensivo sit licitum, tractatio nostra in eo potissimum versabitur, ut explanemus, quibus terminis ius bellum inferendi circumscribatur.

§. IV,

Omniū autem primo iam opus est, ut inquiramus, unde ius bello se vel defendendi vel illud inferendi oriatur? Quod ubi quaerimus regrediendum est ad primos fontes, ex quibus hoc ius promanat. Facile autem apparet, vel idem esse hoc ius, cum iure violentae defensionis, quod cui-libet homini per ius se conservandi tribuitur, vel in illud resolvi. Etenim quod de-
fini-



fnitiones superius §. II. exhibitas et quidem ex iis priores duas adinet, planissimum est, illas per statum, quem bellum dicunt, ipsum statum violentae defensionis designare et exprimere. Et quamvis CANZIANA definitio in eo discrepet a reliquis, ut ad solas gentes belli notionem referat, qua in re ad vulgarem loquendi modum propius accedit, quum decertationes singulorum hominum, vix unquam in vita communi belli nomine venire soleant, haud tamen difficile erit, demonstrare. et sic quoque ius belli in ius violentae defensionis resolvi. Quae enim iura singulis hominibus in statu naturali constitutis competunt, ea certe et tribuenda sunt integris gentibus, utpote quae, membris suis societatis vinculo inter se unitis, singulas referunt personas morales, in statu pariter naturali aliarum gentium respectu degentes. Quumque gentium rectores iura sua, quae Maieitati suae insunt, inter quae ius belli eminet, omnia ex populorum delatione teneant, nihil potest esse magis clarum certumque, quam belli ius ex delato singulis antea competente iure defensionis violentae ortum suum traxisse.

§. V.

Quodsi igitur, ut inoffenso pede progredi nobis liceat, ex suis principiis omnia sunt

us d
veit
? Qu
l p
var. h
hoc
uod
li tr
quod
Es



sunt repetenda; violentae defensionis ius, eiusque natura et indoles nobis erunt investiganda. Praecipuum autem ius, quod supremus rerum humanarum arbiter cuivis homini cum ipsa vita quoque indulgit, est procul dubio illud, ut semet conservet. Ius ad finem, vulgato canone, non potest non etiam in se complecti ius ad media, ea videlicet, quae ita sunt necessaria, ut absque iis obtineri finis nulla potuisset ratione. Egregie autem haec adstruit, debitasque cauteas addit HENRICVS DE COCCHEII, d) sequentem in modum mentem suam exponens: *Constituto iure etiam medium illud constitutum intelligitur, quod unicum et necessarium est ad Ius illud obtinendum.* Nota (x) autem pergit: *Qui ius concedit, concedit et ea, sine quibus ius obtineri nequit; quia totum ius inutile esset, prohibito medio unico et necessario, quo ius illud obtineri potest. At verum id est, si medium illud natura sit necessarium. Secus, si ius, per naturam absque illo medio obtineri posset, sed vitio agentis demum necessarium fit, tunc enim impedimentum non est in re ipsa, sed in persona et ex eius vitio; medium igitur hoc casu illicitum est, et adhiberi nequit, etsi forte aliter ius obtineri nequeat. Sed et medium illud adhiberi debet sine iniuria tertii innocentis, quia et ille iure suo uti, et contra quemcunque aggressorem defendere se potest.*

§. VI.

d) in positionibus Iuris Gentium, Posit. IV. n. 4.



§. VI.

Ius se conservandi involvit itaque ius ad omnia, sine quibus homo conservari haud posset. Quum vero conservationis studium in eo sit ponendum, ut homo statum eum, in quo a supremo rerum omnium conditore collatus et in hanc rerum creatarum universitatem perductus est, retineat, nullamque eorum iacturam faciat, quae ad fines, quos Deus in con- dendo homine praefixos sibi habebat, a se obtinendos pertinent, dubitari nequit, quin ad ea omnia, sine quibus hisce omni- bus potiri haud posset, ius esse debeat homini. Imo vero non iuris tantum sed officii quoque rationem id habet, quod salvo obsequio legibus naturalibus debito violari haud potest.

§. VII.

Oritur hinc ex iure se conservandi omnibus hominibus communi aliud ius aequae late patens, ut a laesionibus aliorum immunes sint. Quum enim omni iuri re- spondeat obligatio, consequens est, ut iuri se conservandi respondere pariter debeat in aliis hominibus obligatio, quae nisi po- sitiva sit, certe negativa esse debet, eius- modi videlicet, ut ne is, qui iure suo agit, in eius exercitio impediatur, sive quod
idem



idem est, ut ipsius ius haud violetur. Id enim nisi ita se haberet, iuris concessio prorsus futura esset frustranea. Atque hinc intelligitur quoque, quo fundamento nitatur divisio iuris in perfectum, et imperfectum; quorum illud ius dicit cum facultate cogendi coniunctum, hoc vero ea destitutum. Omne enim ius ad minimum id involuit, ut nemo in iuris sui exercitio debeat impediri; cum e contrario haud aequae id includat, ut alter nos in exercendo iure nostro adiuvet, nisi peculiaris cuiusdam iuris natura, cuius generis sunt iura pactitia, id ipsum secum ferat, in quibus autem casibus facile observari potest, quod non adiuvando alterum in iuris sui exercitio, ipsa re illum impediamus. Quodsi iam haec applicamus ad ius se conservandi, planum est, illud inferre obligationem alteri incumbentem, eamque perfectam, ut ne nos in conservationis nostrae studio impediatur, quum sine hoc non intelligeretur, quo sine hoc ius nobis esset concessum. Aliter vero res habet, si quaestio sit, utrum alter quoque obstrictus censeretur debeat, ad auxilium in conservationis nostrae studio nobis ferendum, nec ne? Licet enim hoc affirmandum omnino sit, cum fines Deo in condendo homine propositi sine aliorum subsidio haud facile obtineri queant, certumque sit, Deum voluisse, ut quisque al-

terum



terum adiuvet, tamen haud difficulter perspicitur, homines ad aliorum commoda promovenda non eapropter obligatos esse, ac si sine hoc ius se conservandi prorsus futurum esset frustraneum, quod dici non potest. Quin potius clarum est, non eadem ratione quemvis posse esse obstrictum, ad alterum in studio se conservandi adiuvandum, qua obligatur, ad ipsum hac in re non impediendum, cum ius et obligatio semetipsum conservandi saepissime haud permittere possit, ut alteri superpetias ferat, quod secus se habet, ubi alter tantum in iure suo non est impediendus. Hoc enim casu accidere nunquam potest, ut unius conservatio cum conservatione alterius collidatur, nisi ubi horum alter praeter ius et fas alterum in iuris sui exercitio impedit; quod cum fit, penes alterutrum tantum, non vero penes utrumque ius esse intelligitur. Consequitur iam ex haecenus dictis gignere ius se conservandi aliud ius, ut a laesionibus immunes praestemur. Iuri enim se conservandi respondet in altero obligatio, atque ea, uti diximus, perfecta, ne scilicet nos in huius iuris exercitio impediat. Impedire autem alterum in iuris sui exercitio, est violare ipsius ius perfectum. Violatio vero iuris perfecti dicit laesionem. Quumque ius perfectum involvat facultatem cogendi sum, qui iuri nostro se opponit, non potest,

R est,



est non ius se conservandi coniunctum esse cum iure alterum cogendi per vim, ut ne nos laedat.

§. VIII.

Eadem ratione, qua cuivis competit ius se a laesionibus alterius immunem praestandi, nemo non iure gaudet, laesionis factae vel damni dati reparationem exigendi. Aut enim ius illud immunitatis a laesionibus aliorum dicendum erit frustra fuisse concessum, quod statuere velle absurdum est, aut eo datum esse debet sine, ut laeso ius sit, laedentem ad damnum a se datum iterum refarciendum etiam per vim compellendi. Quumque, uti diximus, omni iuri respondeat obligatio, ea quae cuivis imposita est, non laedendi alios, vel nulla vel eiusmodi erit, ut si quando violata est, is, qui fecus ac obligatio ipsi incumbens exigebat, alterum laesisset, praeter poenam ob transgressionem legis sustinendam, ad damni restitutionem quoque teneatur. Et quis est qui non videat, denegata damni reparatione, laesionem usque continuari? At vero nulli non hominum iuxta ea, quae vix adstruximus, ius est, alterum cogendi per vim, ne laedat. Hinc prona quoque consequentia inde fluit, quum damnum datum non reparatum continuata laesio dicenda sit,
iure



iure quoque quemvis gaudere, qui laesus est, a laedente damni dati restitutionem, si reluctetur, per vim extorquendi.

§. IX.

Constare iam ex haecenus dictis potest, quid sit ius violentae defensionis, unde oriatur, et, quando ei locus sit. Nihil enim dicit aliud, quam ius iniuriam sive laesionem vel arcendi vel vindicandi per vim, ortumque suum trahit ex iure se conservandi omnibus hominibus competente, quin et vim officii habente. Quum vero ad illa tantum media nos conservandi ius nobis sit, sine quibus sine hoc potiri haud possemus, uti §. V. et VI. monuimus, clarum est, iuri violentae defensionis locum non esse, nisi alia, quae tentari poterant, media antea frustra fuerint tentata. Quum porro ius laesionem vel arcendi vel vindicandi per vim ex §. VII. et VIII. tum demum obtineat, ubi vel ius nostrum perfectum revera quis est violaturus, vel damni dati reparationem pertinaciter deneget, manifestum quoque est, locum non invenire ius violentae defensionis, quando vel de iniuria nobis inferenda, neque per leniora remedia avertenda, non certo nobis constat, vel damnum datum iniuria datum non est, aut absque vi reparari potest.

R 2

§. X.



§. X.

Atque hoc quidem iure violentae defensionis, istis, quos indicavimus, limitibus circumscripto, omnes et singuli homines fruuntur in statu naturali viventes, quin et eodem gaudent in civili societate, cum primum magistratum ope ad depellendam imminentem sibi veri nominis iniuriam destituuntur, frustra eam imploraturi. At vero ex superius dictis constat, societates quasvis ac proinde etiam integras gentes morali sensu pro personis haberi singularibus, iisdem iuribus praeditis, quibus instructi sunt homines singuli. Ius itaque ipsis est se conservandi, ius laesiones, si necessitas tulerit, per vim averruncandi, ius iniurias illatas vindicandi, atque sic quoque ius violentae defensionis. Quumque duplex laesionum consideratio in civitate occurrat, et cum ipsa societas ut persona moralis, tum cives sive membra sociata laedi possint; duplici etiam modo ius violentae defensionis exerceri poterit, et civitatis et singulorum, qui laesi sunt, nomine, utpote qui sua iura, uti voluntatem viresque suas omnes in civitatem eosque, qui ipsi praesunt, transfudere.

§. XI.



§. XI.

Quemadmodum vero haec luculentissime evincunt, quod §. IV. iam notavimus, ius belli nihil esse aliud, quam ius violentae defensionis gentibus integris competens; ita facile quoque dispalescit, terminos, intra quos ius belli continetur, definiendos esse ex illis, quos §. IX. violentae defensionis iuri assignavimus. Exposituris itaque hos limites ad illa quam maxime erit attendendum.

§. XII.

Et primo quidem loco planum est, belli ius locum non invenire, nisi causa sit iusta, eamque unice in iniuria veri nominis tali esse collocandam. Patet id ex definitione quam exhibuimus §. IX. de iure violentae defensionis, quacum belli definitio superius data conspirat. Egregie in Grotio *illustr. pag. 384. SAMVEL DE COCCEII: in eo, inquit, omnes gentes conveniunt, bella non nisi ad arcendam iniuriam licita esse, GROTTII* videlicet verba illustraturus, qui *De Iure Belli ac pacis Lib. II. Cap. I. §. 1. num. 4.* ita rem enunciat: *Causa iusta belli suscipiendi nulla esse alia potest nisi iniuria. Iniquitas partis adversae iusta bella ingerit, inquit idem Augustinus, ubi iniquitatem dixit, pro, iniuria, quasi addidisset, cum vellet di-*



*cere adiungam. Sic in Romano Feciali carmine:
Ego vos testor, populum illum iniustum esse,
neque ius persolvere.*

§. XIII.

Quaeri autem hic posset, qualis esse debeat iniuria, quae bello suscipiendo ansam legitime praebere queat, cum laesiones in vita, corpore, fama, opibus et iuribus inferri possint? Sed quemadmodum recte monet GROTIUS, *l. c. §. 2. quot actionum forensium sint fontes, totidem esse belli, cum ubi deficiant iudicia, incipiat bellum*: ita facile perspicitur, generatim poni posse, cuiuscunque generis iniuriam vel laesionem iuris nostri perfecti, causam praebere legitimam belli inferendi, cum omnis iuris nostri perfecti laesio actionem in foro producat. Nec est, cur quis dicat, dari veri nominis iniurias, sed adeo leves, ut dignae haud sint, quae per vim reprimantur, quarumque repulsio armis quaeratur. Primo enim neque graviores etiam iniuriae armis sunt vindicandae, nisi, quod postmodum pluribus sumus ostensuri, antea leniora remedia frustra fuerint tentata. Idem ergo multo magis circa leviores erit observandum. At vero si alter animum prodit ab omni reconciliatione per reparationem damni quantumvis exigui prorsus alienum, nullisque amicis cohortatio-



tationibus et ad pacem sollicitationibus
flectendum, sed potius in laesione per-
severantem; negari certe haud potest,
per vim quaeri posse iuris laesi reparatio-
nem. Deinde si graviores tantum iniuriae
per vim tantum vindicari posse statueren-
tur, nequissimorum quorumque insultibus
continuo expositus futurus esset optimus
quisque, et indubium foret, iniurias eius-
modi leviores maximo patienter id feren-
tium cum incommodo, vel ab iisdem, qui
primi eas intulerant, vel ab aliis eiusdem
furfuris hominibus continuo iteratum iri.
Cum primis huc faciunt verba *Celeber.*
FRANCISCI HUTCHESONII in Philosophiae
Moralis Institutione compendiaria pag. 186. ubi
sequentem in modum differit: Belli in li-
bertate naturali suscipiendi causa iusta est iu-
ris perfecti quaevis violatio. Nullum enim
erit ius tutum, nulla vitae securitas, nisi con-
tra iniuriam inferentem ad vim confugere li-
ceat, ne quis iniurias a se illatas impune fe-
rat. Levioribus iniuriis nobis saepius illatis
maximae collabentur opes: neque innocuis tole-
rabilis foret vitae conditio, improborum petu-
lantiae inultae semper obnoxia. Iniurias leviores fe-
rendas suadebit humanitas, si modo damna repa-
rari possint, et a viris caetera probis per bre-
vem iram, cuius mox eos poenitebit, inferan-
tur: hanc tamen patientiam ab altero nemo suo
iure postulare poterit. Si vero iniuriae leviores
fuerint eiusmodi, ut ab illis in posterum

R 4

facile



facile nobis cavere possimus, nullumque sit periculum ne crebrius recurrant, et mala graviora pariant, lubentes largimur, humanitatis esse, ut eas potius contemnamus generoso animo quam vi persequamur. Prudentiae certe semper est, non vindicando leviores iniurias a gravioribus malis sibi cavere.

§. XIV.

Porro dum quaeritur, qualis iniuria ius belli gignat, praeter id, quod in praecedenti §pho excussimus, considerandum quoque est, utrum id aequae de iniuria demum inferenda ac de iam illata dici queat? Neque enim cuiquam dubium videbitur, iniuriam, quae iam inferri coepit, profligari, vel, si illata penitus est, ad eius reparationem vim adhiberi posse, cum id ipsum ex haecenus dictis sole meridiano clarius elucescat. An vero idem circa inferendam demum iniuriam liceat, non aequae certum exploratumque censerit poterit. Iniuria enim nondum facta iniuria non dici, nec reparatio iniuriae peti potest, ubi ius non est ablatum, adeoque ubi iniuria non est facta; quin contradictorium esse videtur, defendere ius suum bello, ubi ius nullum ablatum est. Sed distinguendum solícite est inter iniuriam, quae actu ipso iam paratur, nobisque sic imminet, ut nisi ei
matu-



mature occurratur, evitari nequeat, et eam, quae suspicaci magis animo metuitur, quam ut certi simus consilium cepisse alterum, iniuria nos affiendi. Posterioris generis iniuriam belli causam legitimam non esse, concedimus, uberiusque demonstrabimus; quod vero prioris generis iniuriam adtinet, falsum est, actum, quo iniuria paratur certo imminens, dici non posse iniuriam. Licet enim damnum adhuc dum illatum nobis sit nullum, ius tamen nostrum, quod ex conservationis officio nobis competit, ut tuti simus, ipso hoc actu violatur, et, uti superius ostendimus §. VII. et VIII. ius se conservandi non tantum gignit ius laesionis factae reparationem exigendi, sed vel maxime etiam id iuris tribuit, ut a laesionibus aliorum immunes nos praestare nobis liceat. Hinc et GROTIUS fontes iuris bellum gerendi ex actionum fontibus recludens, post verba superius allegata pergit: *Dantur autem actiones aut ob iniuriam non factam, aut ob factam. Ob non factam, ut qua petitur cautio de non offendendo, item damni infecti, et interdicta alia, ne vis fiat.* Ad quae verba SAMUEL DE COCCEII HENRICO Patri eadem fere, quae supra obiecimus, monenti ita respondet: *Si iniuria paratur, eaque vitari nequit, uti si alter vi praesenti corpus meum impetat, cum periculo vitae meae non vitabili, iniuria vere est facta, et alter ius meum laedit; qui enim*



insidias vitae bonisque meis struit, hoc ipso facultatem secure iuribus a natura concessis utendi, turbat, illamque mihi aufert, adeoque hoc ius, si insidias evitare aliter nequeo, cum intere-
cione alterius defendere possum.

§. XV.

Quemadmodum vero secundum ea, quae §. IX. diximus, ius violentae defensionis haud conceditur, nisi prius leniora remedia, si fieri potuerit, frustra fuerint tentata: ita non possumus non de Iure bellum gerendi idem quoque pronunciare. Atque sic quidem statuendum, cum ubi iniuria demum est inferenda, et occasio adhuc suppetit, leniora tentandi, tum quando iniuria iam est illata et damni dati restitutio quaeritur. Ex hoc vero sequitur, licite bellum non geri, quantumvis gravissima iniuria vel paretur vel inferatur, si vel amice averti, vel iam factae reparatio absque vi obtineri posset. Aliter visum est PUFENDORFFIO, qui e) agnoscit quidem, non temere ad arma esse provolandum, sed pacatis potius modis iniuriae vel depulsionem vel reparationem prius esse quaerendam, at in eo a nostra sententia discedit, ut putet, prudentiae tantum regulas hoc suadere, neutiquam vero eum, qui

e) *in Iure Naturae et gentium Lib. II. C. V.*



qui laesus est, ex iuris naturalis dictamine ad hanc cautionem obligari, quo fine provocat ad locum TERENCEII:

Omnia prius experiri verbis, quam armis, sapientem decet.

Ipse vero sententiam suam correxit *f)* quemadmodum et in bello de *Offic. Hom. et Civ. Lib. I. Cap. V. §. 12.* disertis verbis ait: *Non tamen semper, quando iniuria intentatur, ad extrema licet provolare, sed tutiora prius remedia tentanda; puta ut aditum invasori intercludam, ut intra munita loca me contineam, ut invasorem moneam a furore desistere.* Illustre est hanc in rem CICERONIS effatum, de *Offic. Lib. I. Cap. XI.* dicentis: *Nam cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim; cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum: consurgendum est ad posterius, si uti non liceat superiore.*

§. XVI.

Consequitur porro ex iis, quae §. IX. adstruximus, bellum licite haud inferri, nisi certo nobis constet de animo alterius in nos hostili, deque ipsius proposito certo nos absque mora invadendi. Non respiciamus hic ad illum casum, ubi bello offensivo

f) l. c. Lib. V. Cap. XIII. §. 3. et Lib. VIII. Cap. VI. §. 4.



sivo locus est ob iniuriam praeter armorum vim illatam et denegatam pertinaciter eius reparationem, sed illum potius expendimus, ubi iniuria nulla adhucdum facta est, at bellica invasio intentatur. Ostendimus iam §. XIV. licite occurri infestis armis ei, qui hostilia adversus nos molitur et parat, nunc offensuri quoque, qua sub conditione id liceat. Ea vero facile perspicitur ponenda esse in eo, ut indubitata praesto sint indicia, ex quibus intelligatur, alterum certo nos esse petiturum. Tum enim demum periculum occupare licebit, frustra insuper adhibitis, quod diximus, alterum ad sanio rem mentem reducendi mediis. Quapropter nullis in re tam gravi indulgendum est suspicionibus, vel nullo prorsus fundamento nixis, vel adhucdum fallacibus, quod ubi fit, fieri facile potest, ut qui iniuriam a se propulsare velit, eam ipse inferat. Hinc omnino apposite CICERO: *Quis hoc, inquit, statuit unquam, aut cui concedi sine summa omnium periculo potest, ut eum iure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur.* Et optime GROTIUS. *L. II. Cap. I. §. 5.* hanc in rem pronunciat: *Fateor quidem, si insultator arma arripiat, et quidem ita, ut appareat, eum id facere occidendi animo, occupari posse facinus. Sed multum fallunt, qui metum qualemcunque ad ius occupandae interfectionis admittunt.* Eadem fere ratione DE VATTEL,

in

in elegantissimo opere de *Iure Gentium* gallico sermone conscripto eandem rem explicat *Lib. II. Cap. IV. §. 50.* ubi ita differit: *Le plus sûr est de prévenir le mal, quand on le peut. Vne nation est en droit de résister au mal, qu'on veut lui faire, d'opposer la force, et tout moyen honnête, à celle, qui agit actuellement contre elle, et même d'aller au devant des machinations, en observant toute fois, de ne point attaquer sur des soupçons vagues et incertains, pour ne pas s'exposer à devenir elle même un injuste agresseur.* At forsan est, qui dicat, vix ac ne vix quidem certe sciri posse, alterum nos esse invasurum, cum, qui vim parat ad alterum opprimendum, plerumque etiam consilia sua summo studio celare soleat, et animi intentio non nisi ex factis intelligi queat, quae, ubi iniuria non est illata, diversissimas plerumque interpretationes admittant. Neque vero negamus facile errari posse in diiudicandis alterius adversus nos consiliis, maxime si suspicio aliquando animum nostrum invasit, alterum minus bene nobis cupere, et largimur quoque in hoc casu non dari certitudinem, quae sit apodictica. Sed, quod ad hoc quidem adinet, quilibet etiam novit, demonstrationem non cadere in res facti, et summum probabilitatis gradum aequiparandum esse certitudini, quae tunc moralis dicitur. Deinde licet difficulter obtineatur



neatur moralis eiusmodi certitudo, dici tamen non potest, impossibile esse, ut acquiratur, cum multa sint media, quorum ope is, qui circumspēcte agit, omnia prius tentat, quam armis rem gerat, iniuriam minitantem adigere potest, ut animi sui consilia, quantumvis ea occultare studeat, vel invitus etiam prodat. Audiamus, quem vix excitavimus, DE VATTEL, qui eleganter describit rationem, quam in relegendis alterius clandestinis consiliis et machinationibus hostilibus adhibere debet is, cui periculum est, ne opprimatur. Ita vero in *Iure Gentium* Lib. III. Cap. III. §. 50. quaerit et pronunciat: *Quand un voisin, au milieu d'une paix profonde, construit des Fortresses sur notre frontiere, augmente ses troupes, assemble une armée puissante, remplit ses Magasins; en un mot, quand il fait des preparatifs de guerre; nous est il permis de l'attaquer, pour prevenir le danger, dont nous nous croyons menacés? La reponse depend beaucoup des moeurs, du caractere de ce Voisin. Il faut le faire expliquer, lui demander la raison de ces preparatifs. C'est ainsi, qu'on en use en Europe.* Hoc itaque iam est primum, ut qui vim parat publice compellari, et postulari ab ipso queat, ut absque verborum ambiguitate declaret, utrum nos sit petiturus nec ne? Quod si id facere detrectet, iam laedit ius perfectum, quod cuique competit eo, ut de securitate

tate sua certum se reddere possit. Sed neque semper sufficiens in eo est securitatis nostrae praesidium, si vel maxime alter solempni declaratione animum nos invadendi amoliri a se fatagat. Esse enim possunt causae legitimae, ob quas ipsius verbis minus tuto fidem habere nos posse existimemus. Hinc pergit DE Vattel:

Et si sa foi est iustement suspecte, on peut lui demander des suretés. Le refus seroit un indice suffisant de mauvais desseins, une iuste raison, de les prevenir. Atque id quidem iam est alterum, quod adhiberi potest, medium, ad retegenda futuri invasoris consilia, sed non aequè late patens, cum non sine summa cautione admittatur, utpote cum ignominia, quin et iniuria, coniunctum, si usurpetur adversus eum, qui fidem suam non reddidit suspectam. Optime proinde addit vir illustris: *Mais si ce souverain n'a jamais donné des marques d'une lâche perfidie, et sur tout si nous n'avons actuellement aucun demêlé avec lui; pourquoi ne demeurerions-nous pas tranquilles sur sa parole, en prenant seulement les precautions, que la prudence rend indispensables? Nous ne devons point sans sujet le presumer capable de se couvrir d'infamie en ajoutant la perfidie à la violence.* Addimus, fieri etiam posse, ut arcana alterius consilia, ex litteris, instrumentis, aliisque huius generis testimoniis, vel casu ad invadendum delatis, vel solerti perscrutatione



tione detectis, patefiant: quibus probationibus eo maius inesse dicendum est momentum, quo certius est, in ipso etiam foro civili et actionibus forensibus de alterius destinationibus et agendi proposito ex huius commatis argumentis sententiam ferri definitivam.

§. XVII.

Tandem quum Ius violentae defensionis, neque tum locum habeat, ubi vel damnum iniuria datum non est, vel iniuriae reparatio absque vi obtineri possit, quod §. IX. per modum confectarii ex praecedentibus elicuimus: clarum est, idem etiam de belli Iure dicendum esse, illudque his quoque circumscribi limitibus. Sed superfluum iudicamus, pluribus de his differere, quippe quae ex §§. XII. XIII. et XV. satis superque patent. Veri enim nominis iniuriam tantum bello iusto causam praebere, neque nisi frustra tentatis lenioribus remediis vim esse adhibendam, docuimus.

§. XVIII.

Atque sic iam constare potest, qui sint iusti Iuris bellum gerendi limites, vel quibus sub conditionibus bellum legitime inferatur. Iltas vero causas, ex quibus bellum recte fieri intelligitur, iustificas appellare solent Iuris naturalis Doctores, a
qui-

quibus solícite distinguunt eas, quas suasorias vocant. Quid per has significetur, omnium optime GROTIUS explicat, qui *Lib. II. Cap. I. §. 1.* ita loquitur: *Veniamus ad causas bellorum: iustificas intelligo: nam sunt et aliae, quae movent sub ratione utilis, distinctae interdum ad iis, quae movent sub ratione iusti.* Non autem existimamus opus esse, ut prolixa disputatione evincamus, bellum, quod ex causa unice suasoria geritur, et iustifica destituitur, legitimum haud esse, Quis enim est, qui non videat, iura quae a natura nobis sunt concessa ad conservationem nostri, diversa omnino esse ab iis, quae nobis data sunt ad commoda nostra provehenda. Quumque neque ob conservationem nostri ius nobis sit ad vim adhibendam, nisi ubi hoc medium suppetit unicum, multo minus ad utilitates nostras promovendas trahi istud poterit. At véro licet ad iustitiam belli hoc modo nihil faciant causae suasoriae, et bellum illis solis nixum iniustum quoque sit pronuntiandum, tantum tamen abest, ut earum nulla habenda sit ratio, ut potius regulae prudentiae id quam maxime exigant. Imo debet id reipublicae summus imperans, ut, quamvis civitatis iura perfecta fuerint laesa, neque a laedente iniuriae reparatio per leniora et pacata remedia obtineri queat, eandem viribus
nimis



nimis inferiorem discrimini bellico haud exponat, sed potius eiusmodi iniurias, quae quantumvis graves non tamen interitum reipublicae post se trahunt, patienter ferat, quum civitatis salus utique suprema sit lex. Atque hoc quidem respectu dici posset, suo modo et suasorias causas aliquid conferre, ut bellum sit iustum. Iustitiae quidem et illae solae efficiunt, ut bellum respectu eius, quod aliis debet Imperans, sit iustum; suasoriae autem, sed nunquam solae, ut sit iustum respectu eius, quod suis, suae videlicet civitati, debet. Miror hanc causarum, quae suasoriae dicuntur, considerationem a viris doctis hactenus non fuisse institutam, quod cumprimis fieri debuisset ab iis, qui bifariam cum in Iure publico universali, tum in Iure Gentium de Bello praecipiant.

§. XIX.

Facile iam ex iis, quae in praecedentibus dicta sunt, intelligi potest, quae causae bellorum pro iniustis (dubias enim attingere nolumus, utpote per se nullum ius parientes,) sint habendae, quumque GROTIUS prolixam earundem enumerationem nobis exhibeat *Lib. II. Cap. XXII.* haud difficulter etiam perspicitur ratio, ob quam omnes et singulas a se allegatas hoc nomine proscribendas putaverit. Neque
vero



vero eas prorsus silentio praetereundas esse censemus, neque tamen iudicamus necessarium, pluribus easdem excutere, cum paucis omnino tota res possit expediri. Contendimus itaque cum GROTIUS, bella quae et iustificis et suasoriis destituantur, ferina, quae vero solis suasoriis nitantur, praedonum esse. Pronunciamus deinde iniustas, quae iusti nonnunquam speciem sed falso referre videntur, bellorum causas, metum incertum, de quo tamen nonnulla prolixius umus addituri in sequentibus, utilitatem porro sine necessitate, negatum matrimonium in magna feminarum copia, quippe quod iniuriae verae nomine haud venit, cupiditatem melioris soli, inventionem rerum, quae ab aliis iam sunt occupatae, sive illi pro improbis sive pro barbaris habeantur; et quae plura eius generis a GROTIUS reiiciuntur. Sic enim praeterea huc refert, libertatis desiderium in populo subdito, voluntatem regendi alios inuitos, quasi ad ipsorum bonum, titulum universalis imperii, qui a quibusdam vel Imperatori, vel Ecclesiae adscribitur, voluntatem implendi vaticinia sine Dei mandato, et persecutionem eius, quod ex iure stricte dicto haud debetur. Haec enim omnia collata cum principiis superioris stabilitis per se concidunt, utpote ex quibus patet, unicam tantum dari causam,

ex qua bella iuste possint geri, eamque in iniuria veri nominis tali esse collocandam.

§. XX.

At fortasse quis obiecerit: plerumque tres statui causas bellorum iustas, defensionem, recuperationem rerum et punitio-
nem, quibus GROTIUS *Lib. II, Cap. I. §. 2. num. 2.* nisi vox recuperandi sumatur laxius, quartam etiam addendam putat, persecutionem eius, quod nobis debetur. Sed facile et iis, qui sic calculos suos subducunt, et nobis conveniet. Nemo enim non videt, haec omnia nihil aliud nobis sistere quam diversas iniuriae, quam unicam causam bellorum iustificam diximus, considerationes. Illa enim vel demum est inferenda, atque sic per defensionem bellicam propulsatur, vel est illata, aut per ablationem bonorum nostrorum, ubi recuperatio rerum, aut per denegationem, ubi persecutio eius, quod nobis debetur, per bellum obtinet. Quod ad punitio-
nem adinet, nos quidem nulla statuimus dari bella punitiva, atque sic a sententia, quae GROTIUS caeteroquin placuit, sumus alieni. Si vero sumatur pro ultione iniuriae, quae reparari nescit, neque sic quicquam statuetur, assertis nostris contrarium.

§. XXI.



§. XXI.

Vti vero hactenus sufficienter ostendimus, quid requiratur, ut bellum a parte rei sive obiecti, uti in scholis loqui amant, iustum sit pronuntiandum: ita paucis quoque dicendum est, ad quid respiciendum sit, ut bellum a parte personae bellum gerentis sive subiecti pariter pro recto et pio haberi queat. Licet enim haec consideratio nec communiter institui solear, nec bellum eapropter iniustum sit pronuntiandum, si ei ex animo agentis et bellum gerentis vitium accidat; tamen silentio hanc quaestiuem prorsus praeterire nolumus. Cuiuslibet quidem facile potest esse clarum, intentionem bellum gerentis posse vitiare id, quod in se vel maxime futurum fuisset legitimum. Ea enim est actionum humanarum indoles, ut, quamvis, quae in se et a parte rei turpia et illicita sunt, per intentionem agentis quantumvis bonam recta et honesta effici haud possint, nihilominus ea, quae recta et legitima sunt, ex animo agentis depravari queant. Bonum enim est ex integra causa, malum vero ex quolibet defectu. Hinc ut idem etiam circa bella obtineat, oppido necesse est. Tunc igitur demum ex omni parte iustum et legitimum dicendum erit bellum, si et causa suberit iusta, et eo suscipietur animo, qui, si aliter salutem et securitatem nostram



consuli potuisset; a bellica vi quam alienissimus fuisset futurus. Egregie hinc GROTIUS *Lib. II. Cap. XXII. §. 17. Notandum*, inquit, *et hoc saepe accidere, ut bello causa quidem iusta subsit, sed vitium actioni accedat ex occasione agentis: sive quod aliud quiddam, non illicitum per se, magis et principalius animum movet quam ius ipsum, puta honoris studium aut utilitas aliqua, sive privata sive publica, quae ex bello ipso seorsim a causa sua iustifica considerato expectatur; sive quod adest affectus plane illicitus, ut gaudium acquiescentis in malo alieno sine boni respectu. Quibus recte subiungit: Sed haec, ubi causa iustifica non deest, peccatum quidem arguunt, ipsum tamen bellum proprie iniustum non faciunt; unde nec ex tali bello restitutio debetur. Alter enim revera iniuriam vel intulit vel illaturus erat. Conqueri itaque non potest, si ius nostrum adversus ipsum persequamur.*

§. XXII,

Superfunt adhuc aliae quaestiones hoc argumentum proxime tangentes, de quibus ut aliqua addamus, instituti ratio exigere videtur. Sic disputari solet: *an vicinae potentiae admodum crescentis, et iustas licet ob causas auctae, metus sufficiens iure naturae belli causa sit? Quid nostra sententia de hac quaestione statuendum sit, ex-*
fu-

superioribus facile intelligitur. Incertum enim metum inter causas iniusti belli retulimus, et ad arma capienda ius nobis esse nullum, nisi certo de iniuria nobis ab altero inferenda constiterit, monuimus. Praeterea ut praesens sit periculum, nullaque alia via magis pacata averti queat, cumprimis quoque requiri diximus. Quae omnia satis docent superque, affirmantem sententiam in deducenda haec quaestione nulla admitti posse ratione, praesertim cum vitio dari possit nemini, quod suas modo quovis legitimo vires adaugeat. Neque aliter sentit summus Iuris belli arbiter GROTIUS, qui *Lib. II. Cap. I. §. 17.* ita loquitur: *Illud vero minime ferendum est, quod quidam tradiderunt; iure gentium arma recte sumi ad imminuendam potentiam crescentem, quae nimium aucta nocere posset. Fateor in consultationem de bello et hoc venire, non sub ratione iusti, sed sub ratione utilis: ut si ex alia causa iustum sit bellum, ex hac causa prudenter quoque susceptum iudicetur; nec aliud dicunt, qui in hanc rem citantur Auctores. Sed ut vim pati posse ad vim inferendam ius tribuat, ab omni aequitatis ratione abhorret: Ita vita humana est, ut plena securitas nunquam nobis constet. Adversus incertos metus a divina providentia, et ab innoxia cautione, non a vi praesidium petendum est. Quamvis autem haec sint longe clarissima, neque exceptionem admittere*



videantur: non tamen desunt, qui aliter decernendum putant, et, quod maxime miramur, iis se etiam adiunxit CANZIUS, qui g) adversae sententiae patrociniū in se suscepit. Omnem autem is ingenii aciem intendit cum ad hypothesin suam argumentis firmandam, tum ad contraria argumenta dissolvenda. Non vacat, omnia, quae vir doctissimus attulit in medium, data opera examinare, et ad ea respondere, cum paulo prolixius in hoc argumento discutiendo versatus fuerit. Summa eorum, quibus nititur, capita huc redeunt: Homines considerandos esse, non quales esse debeant, sed quales sint, hoc est, corruptos, et ad iniurias inferendas pronos, metum proinde hunc non esse incertum, licet nondum animum induerint, nobis nocendi, et perinde, ac civitates ex necessitate institutae fuerint ad avertendas iniurias ab aliis metuendas, integrum quoque esse civitatibus ex eodem iure necessitatis adhibere media securitati unice inservientia. Imo etiam eo progreditur, ut statuatur, obstrictos nos quoque esse, non absoluta quidem sed respectiva obligatione ad laedendos eos, quibus magna laedendi potentia accedit, ne ipsi postmodum magis laesi pessum eamus, et licet §. 1399. sententiam suam paulo reddat mitiorem, dum
asse.

g) in *Disciplinis Moralibus* §. 1387-1399. et
3528-3542.



afferit, lenioribus antea utendum esse remediis, foederibus initis, aut aliis eiusmodi adiumentis, nihilominus postmodum mutasse mentem videtur, dum §. 3532. seqq. foedus cum aliis ineundum remedium sufficiens, quod adversus potentiores tutos nos praestet, dici posse neget. At vero quantacunque etiam summi huius Philosophi apud me sit auctoritas, tanta tamen nec est nec esse debet, ut religioni mihi ducam in re tam gravi ab ipso dissentire. Neque putem argumentis ipsius eam inefficaciam, quae superius allatorum robur infringat. Recte quidem dicit, homines esse corruptos, et ad nocendum proclives, metumque eapropter istum non adeo esse incertum, sed quid inde? An haec est sufficiens ratio alterum laedendi, priusquam de me laedendo cogitaverit? Nonne sic HOBBSII illud bellum omnium adversus omnes introducitur, cui tamen alibi totis viribus se opponit vir doctissimus? Nonne sic cuivis quoque ius esset me invadendi, quum videat me aliquando valentiores se evasurum, ego vero negare haud possim, me haud minus reliquis esse corruptum? Sic praeclare prospectum esset securitati totius generis humani. Deinde nemo unquam Theologorum adeo corruptos esse dixit homines, ut omnem iusti et iniusti sensum exuisse censendi sint. Neque etiam valere putem consequentiam

§ 5

ab



ab instituto civitatum desumptam, ad ad-
 struendum ius belli adversus eum, qui lac-
 dere me aliquando posset. Nihil enim
 habet illud institutum civitatum, quod
 iis, quorum iniuriis sic occurritur, vel
 minimum detrimenti afferre queat. Maxi-
 ma itaque est disparitas inter ea, quae sic
 comparantur. Quod reliquum est, lubens
 fateor, me non intelligere, qua ratione
 vel absolute vel respective obligatus quis di-
 ci possit ad alterum laedendum, neque etiam
 statuere, tam infirmum esse illud praesi-
 dium, quod adversus vim potentioris in
 foederibus quaeritur. Sed de his haecenus.
 Alio argumento, eoque admodum inge-
 nioso, ut evincat, licere aliquando vici-
 nae civitatis crescenti potentiae armis oc-
 currere, utitur FRANCISCUS HUTCHESON. *b)*
 Verum tam circumspecte et non sine plu-
 rimis limitationibus sententiam suam expo-
 nit, ut nesciam, an censuram aliquam
 incurrere queat. Ita vero vir eruditus;
*Hoc solum de civitatibus monendum, quod
 quemadmodum inter cives, damni infecti datur
 actio, nimiaeque paucorum opes, quaevis eas
 sine iniuria congerere velint, legibus tamen
 agrariis prohibentur: sic, si de periculo immi-
 nente ratione leniori caveri nequeat, iusta ali-
 quando erit belli causa, nimia vicinae civitatis
 potentia, indies magis magisque gliscens; prae-
 cipue*

*h) in Philosophiae Moral. Institutione compen-
 diaria Lib. III. Cap. IX. §. 2.*



cipue ubi animum ostendunt cives laudis bellicae nimis avidum, atque a pacis artibus alienum: ita ut vicinis vitam tuto degere non liceat, nisi pariter mitioribus omissis artibus ad studia bellica se totos convertant: hoc tamen inter iura rariora censendum.

§. XXIII.

Huius quoque fori est quaestio multum agitata: *an detur bellum ex utraque parte iustum?* quae multis quidem frivola videri potest, cum nihil sit magis clarum, quam bellum omne quod geri sine iniuria vel illata vel inferenda non potest, ex parte eius, a quo fit vel facta est iniuria, neque reparatur, necessario debere esse iniustum. Nihilominus tamen passim viri eruditi, et inter eos GROTIUS quoque in ea resolvenda desudarunt, qui *Lib. II. Cap. XXIII. §. 17.* plurimas distinctiones cumulat, quarum ope pro diversa vocum acceptione quaestionem hanc vel affirmari vel negari posse ostendit. Et facile quidem quilibet perspiciet, eo sensu hanc quaestionem a quoquam nunquam posse fuisse motam, utrum detur bellum a parte rei utrimque iustum? Nemo enim est tam stupidus, quin videat, id esse contradictorium. Hinc GROTIUS recte pronunciat: *Speciali et ad rem ipsam relata acceptione bellum utrimque iustum esse non potest, ut nec lis, quia facul-*



*facultas moralis ad contraria, puta ad agendum et ad impediendum non datur per rei ipsius naturam. Sed quando nonnulli asserunt dari bellum utrimque iustum, fit id cum respectu ad personam bellum gerentem, sive, ut cum GROTIUS loquamur, iustum sumitur ea acceptione, quae pertinet ad operantem. Quod, si terminis clarioribus enunciandum est, nihil dicit aliud, quam posse fieri, ut uterque belligerantium bona fide armis rem gerat, sibi que persuadeat, iuste a se bellum geri. Hoc vero sensu GROTIUS affirmantium parti se iungit, quando dicit; *At vero, ut neuter bellantium iniuste agat, fieri sane potest: iniuste enim agit nemo nisi qui et scit, se rem iniustam agere; multi autem id nesciunt. Sic iuste, id est bona fide litigari potest utrimque. Multa enim et in iure et in facto, unde ius oritur, fugere homines solent. Neque vero existimamus reprehendi posse GROTIUM, quod sic statuatur, licet id visum sit commentatori suo SAMUELI DE COCCII, qui in annotatione sua pluribus adversus ipsum insurgens, sequentem format exceptionem: *At, ais, uterque in bona fide esse, et iure se agere opinari potest, adeoque saltem ex opinione litigantium utrimque bellum iustum erit. Resp. Ex eo, quod quis opinatur, sibi iustam esse causam, non sequitur, eam vere iustam esse: facile enim in propria imprimis causa falli potest: sed et vix est, ut uterque in bona fide esse possit***

circa



circa iustitiam causae, ea enim est rationis nostrae conditio, ut examinatis rite circumstantiis et adhibito consilio prudentum facile cuiusvis constare possit, quid iustum sit, quid iniustum. Si quis igitur vel ex malitia vel ex ignorantia iustam sibi fingit causam, quae talis non est, semper iniuria manet, et eventus belli id declaraturus est. Quis enim non videt, quam maxime alienum esse GROTIUM ab illa sententia, ut putet, per bonam fidem bellum a parte rei reddi iustum. Caeterum nec COCCEIUS penitus negat, fieri posse, ut quis bona fide circa iustitiam belli a se gerendi erret, et GROTIUS contendit, multa etiam sine iure fieri posse absque culpa ob ignorantiam inevitabilem, quo posteriori casu, si admittendus esset, bellum, licet a parte rei iniustum esset, belligeranti non tamen posset imputari. Respexit heic GROTIUS ad subtiles illas Scholasticorum quaestiones circa hoc argumentum, cuius generis est illud LUDOVICI MOEINÆ, qui de dubia inter Principes controversa agens, causam tandem eo deflectit, ut definiat: Quodsi partes iudicio discordent, et utraque iudicet semoto dubio ad se pertinere; tunc una sane decipitur, sed si invincibiliter errat, quia moralem adhibuit diligentiam, secutaque est iudicium peritorum, erit bellum iustum ex utraque parte, sed ex una formaliter

1) in Opere de Iustitia et Iure Tom. I. Tract. II. Disp. 103. num. 11.



ter simul et materialiter; ex altera vero formaliter tantum. Sed mittimus haec, et id unicum addimus, GROTIUM et eo sensu admittere bellum utrimque iustum, quo bellum solemne ex hypothese, quam adoptavit, peculiare suos effectus iuris utrimque sortiatur. Quum autem nos bellum solemne, quale quidem GROTIUS ex iure quodam Gentium voluntario adstruere conatus est, statuamus esse figmentum, neque iam nostri sit instituti, pluribus excutere hoc argumentum, quae dici ulterius possent, ficco pede praeterimus.

§. XXIV.

Supereft, ut vel brevissimis nonnulla quoque adiciamus de iure, quod vulgo Ius Convenientiae dici solet. Atque hoc quidem argumentum peculiari dissertatione tractandum sibi sumfit FRIDERICUS HENRICUS STRUBE. *k)* Intelligitur vero per ius Convenientiae, cum nullum omnino detur aliud ius terras vel fortalitia gentis in bello mediae exigente summa necessitate ad sui conservationem per vim occupandi. Eius itaque fons est ius necessitatis, quod uti singulis competere potest hominibus, ita nec integris gentibus erit denegandum. Vti vero inde oritur, ita nec ulterius
exten-

k) Dissertation sur la raison de Guerre et le Droit de Bienfaisance.

extenditur. Omnium autem optime GROTIUS ὁ πᾶν, quicquid huc pertinet, *Lib. III. Cap. XVII. §. 1.* nervose complexus est verbis sequentibus: *Quia occasione belli multa in eos, qui in bello medii sunt, finitimos praesertim, patrari solent, praetexta necessitate, repetendum hic breviter, quod diximus alibi (Lib. II. Cap. II. §. 10.) necessitatem, ut ius aliquod det in rem alienam, summam esse debere: requiri praeterea, ut ipsi domino par necessitas non subsit: etiam ubi de necessitate constat, non ultra sumendum, quam exigit: id est, si custodia sufficiat, non sumendum abusum, si abusu sit opus, restituendum tamen rei pretium. Aliter tamen sentit HENRICUS COCCEIUS. 1)* Ad quaestionem enim a se propositam: *An hostis locum pacatum, ideo, quod eo necessario utatur, ad sui defensionem occupare, et defensionis necessitate tueri se possit?* respondet: *quod plane negandum, cum ius naturalis defensionis intelligendum sit sine alterius pacati et insontis iniuria.* Sed cum ius istud nullum sit aliud, quam ipsum ius necessitatis a gente usurpatum, hoc vero conservatione sui nitatur, quae, cum alio medio obtineri haud possit, documento est, casum hunc sub lege generali de non laedendis aliis haud esse comprehensum, GROTII sententiam haud esse reiiciendam censemus.

IX,

1) in *Dissertatione de Iure belli in amicos*
§. 43.



IX.

DISSERT.

De Fonte Iuris Naturalis, utrum in In-
stinctibus an in Ratione
quaerendo?

Tubingae. m. Oct. MDCCLVIII.

§. I.

Multa olim inter eruditos fuit disputa-
tio de principio iuris naturalis co-
gnoscendi, sive de propositione generalio-
ri, ex qua omnia legis naturalis scita ea-
que sola possint deduci, aliis hanc aliis
aliam pro eiusmodi principio venditanti-
bus, licet a se saepenumero quam maxi-
me diversas. Neque etiam haec lis ad-
huedum dici potest esse composita. Inte-
rim tamen fervor disputantium paulisper
elanguit, quod fieri solet in omni contro-
versiarum genere, quae paulo longius
conti-



continuatae taedium tandem gignunt, ita tamen, ut, cum ingenia pugnacia aegre animum a controversiis contineant, aliae aliis substituantur et succedant. Eodem pacto istam controversiam alia iam excepit, eidem tamen in multis admodum affinis, dum quaeritur, ex quo fonte, an ex instinctibus, an vero ex ratione Iuris naturalis placita sint haurienda? Non ignobile est hoc argumentum, neque indignum, quod curatius investigetur, maxime cum nostra aetate multi sint, qui instinctus duces secuti leges naturales longe alia via eruere soleant, ac ea, quam ingressi erant, qui primi Iurisprudentiam naturalem in artis formam et systema quoddam redegerunt. Operae igitur pretium forsan facturi sumus, si, quod peculiari commentatione, quantum quidem novimus, profecutus est nemo, hoc argumentum data opera exposuerimus.

§. II.

Opus autem est, ut ante omnia quaestionis statum rite formemus figamusque, ut constet, de quo nobis sermo instituitur. Duplicis videlicet generis principium cognoscendi methodo scholis recepta in disciplinarum tractatione adhiberi solet, alterum obiectivum, cuius sub initium meminimus, dum quaeritur, ex quo, sive

T

ex



ex quam propositione universali omnia et singula disciplinae alicuius placita deduci et intelligi possint, alterum subiectivum, dum quaestio instituitur, per quod, sive cuius facultatis ope ista placita eruantur et percipiantur. Quodsi iam haec ad iurisprudentiam naturalem applicamus, manifestum est, quaestionem illam: utrum ex instinctibus an ex ratione eruenda sint placita iuris naturalis? versari circa huius disciplinae principium cognoscendi subiectivum, eamque resolveri in hanc: utrum rationis ope et ex illius dictamine, an vero ex illo sensu, quem gignunt instinctus, quique opponitur cognitioni ex ratione promananti, investiganda sint ea, quae ad Iurisprudentiam naturalem referri debeant? Haec itaque iam sunt ea, quae examinanda atque diiudicanda nobis sumimus.

§. III.

Dispiciamus autem primo loco, an ex ratione et ea quidem sola non possit legum naturalium scientia hauriri? Tantum vero abest, ut id in dubium vocari posse videatur, ut tantum non impossibile iudicandum sit, aliunde eam deduci posse. Quid enim est ratio? Nonne ponenda est in facultate perspicendi nexum veritatum? Quid vero est scientia? Omnium consensu
dicit



dicit habitum asserta demonstrandi, hoc est illa ex principiis indubitatis et evidentibus per consequentias legitimas deducendi. Hoc profecto sensu Iurisprudencia naturalis, si vel maxime ipsius cognitio ex instinctibus esset repetenda, et primario flueret, nihilominus tamen non posset non a ratione pendere, quatenus disciplinam illa constituit, veritates inter se cohaerentes nobis sistentem. Qualiscunque enim fuerint instinctus nostri, et quomodocunque etiam illi veritates nobis subministraverint, nunquam tamen illas inter se connexas, adeoque nec ut veritates, suo criterio sufficiente munitas, exhibebunt, quippe quod non nisi in solam rationem eadit. Quodsi proinde rationi per se et soli datum non esset, legem naturalem intelligere et adstruere, nisi instinctuum subsidio adiuvaretur, isto tamen certe nomine insignes prorsus futurae essent rationis partes in investigatione eorum, quae ad Iurisprudenciam naturalem pertinent. Sed absit, ut hoc admittamus, cum potius facile possit demonstrari, ab homine, si vel maxime omnibus, quos tam largiter ipsi tribuunt recentiorum philosophorum plerique, destitueretur instinctibus, universum tamen Ius naturale solius rationis ope cognosci posse atque adornari.



§. IV.

Agedum videamus, quo pacto, quibusque argumentis id adstrui possit. Ponamus tantisper, nullos hominem sentire instinctus, sola uti ratione. At huius tamen ope intelligit, se esse ens rationale, finitum, dependens. Intelligit voluntatem sibi esse liberam actionum suarum effectricem. Intelligit dari ens summum, sapientissimum, optimum, potentissimum, quod ipsum a nullo alio, et a quo omnia pendeant, cuique ipse etiam subdit. Intelligit omnium entium, quae existunt, quodlibet suam peculiarem habere naturam, sibi que et suam esse, a reliquis non hominibus diversam. Intelligit actionum suarum, quas libere edit, alias posse esse cum suae naturae tum relationi, quae inter ipsum et alia, quae existunt, obtinet, convenientes, alias vero contrarias. Intelligit sic quoque fundamentum cum regulabilitatis tum imputabilitatis actionum suarum. Intelligit DEum pro sua et sanctitate et bonitate et sapientia non posse non velle, ut homo suae naturae, et, quae huic conformis est, destinationi de se divinae convenientes edat actiones, contrarias devitet, hoc est, ut, quantum fieri possit per naturae suae rationalis sed limitatae vires, actiones suas ad perfectissimum illud actionum divinarum exemplar

com-



componat, sibi que ab oppositis quam maxime caveat. Intelligit legem sibi sic latam esse, eamque formaliter talem, ius et obligationem proprio sensu producentem. Intelligit, iustitiam DEI haud permittere, ut leges ipsius impune violentur. Intelligit, legem illam primario id poscere, ut DEUS a se summo virium nisu colatur, ut, cum frustra haud conditus sit, conservare se et ad fines a DEO in se intentos præclarius obtinendos idoneum se magis magisque reddere studeat, ut, cum reliqui homines eadem gaudeant natura, ad eisdemque fines sint conditi, adeoque et iisdem iuribus gaudeant, easdemque impositas sibi habeant obligationes, obstrictum se existimet, ad socialiter vivendum, hoc est, ad alios non laedendos, sed potius quantum fieri potest in suo se conservandi perficiendique studio adiuvandos. Paucis, intelligit legem naturalem, eiusque obligationem validissimam cognoscit.

§. V.

Mirari quis iam possit, qui factum sit, ut viri eruditi in investiganda Iurisprudentia naturali ad instinctus delapsi sint, cum omnia, quæ ad illam pertinent, rationis ope cognosci queant a quovis, sive ille vel plane ignoret, sibi esse instinctus, sive ad eosdem certe non attendat. Sed non

T 3

est



est praecipitanda, quae ferri debet, sententia. Videamus itaque etiam, quid de instinctibus sit sentiendum, quodque ab illis peti possit in cognoscenda lege naturali adiumentum.

§. VI.

Dari instinctus in homine, vix in dubium revocari potest a quoquam, cum illos animalibus communi suffragio tribuant omnes, homini vero praeter rationalem animalis quoque sit natura. Ipsa etiam experientia luculentissime demonstrat, hominem haud minus ac caetera animalia naturali quadam propensione ferri ad appetenda haec, et averfanda illa, atque infitas ipsi et innatas esse animi inclinationes, amorem vitae, horrorem mortis, appetentiam cibi, potus, quietis, cupiditatem grati, averfationem ingrati; quas eapropter prima naturalia apellarunt Stoici, Cicero autem prima invitamenta naturae vocat. Et quod ad diversas animalium classes adinet, multis earum singularisprehenditur inesse naturalis quaedam sagacitas, ex nulla praecedanea institutione vel ad aliorum eiusdem classis animalium exemplar conformatione explicabilis, qua actiones edunt illis nisibus et propensionibus sibi ingentis, maxime autem instinctui, quo feruntur, se conservandi apprime convenientes. Quotus quis.

quisque enim non novit, quanta ingenii sagacitate, quanto artificio suos construere apes soleant favos, cellam istam suam penuariam, in quam mella pulcherrimo ordine et summa solertia per aestatem a se colligenda, totius gregis per hyemem allimenta certa futura, recondant, ut taceamus, quae praeterea in hac animalium ratione destitutarum republica admiratione longe dignissima a quovis attentiore rerum naturalium contemplatore et scrutatore conspiciuntur. Quem autem habuerunt magistrum, aut a quo informari etiam potuissent rationis expertes? Nonne fatendum est, solum DEum impressis et ingentis horum animalium naturae eiusmodi motibus tam admirandum nobis spectaculum exhibere potuisse. Hinc VIRGILIUS *Georgicorum Lib. IV.* quo doctrinam de apibus et plenissime et elegantissime descripsit, v. 148. ait.

*Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipse
Addidit, expediam.*

et v. 218. afferuit, illis, quae in apibus conspicienda sunt, quosdam etiam fuisse permotos, ut ratione eas praeditas esse existimarent, dum pergit:

*His quidam signis, atque haec exempla secuti,
Esse apibus partem divinae mentis, et haustus
Aethereos dixere.*



Similia eorum, quae in apibus miramur, in aliis quoque animalibus cernere nobis licet. Quis enim non stupet ad telas illas artificiosissimas et accuratissimas araneorum, quarum in medio resident, retis huius ope muscas incautius advolantes telaeque filamentis subtilioribus implicatas capturae, atque ex hostium devictorum exuviis lautitas sibi epulas paraturae. Quis non miratur industriam formicarum, ad morem apum rempublicam sibi formantium et de futuro pastu in commune congerendo sollicitarum? Neque minori sagacitate gentis huius hostis infensissimus, quem Formicaleonem appellare solent Physici, insidias ipsi struit, caveolam sibi exstruendo in cono conversi speciem, in cuius apice inferius collocato, excubias agit, praedae intentus, certusque, nullam praeterire posse formicam, quin de ipsius praesentia ex decedente in caveam arenae subtilioris superius impositae particula reddatur certior. Observarunt praeterea physicorum rerum indagatores, omnia animantia et ipsa etiam insecta singulari prorsus solertia eiusmodi deligere solere loca, in quibus tum ipsa se recondant, tum vel foetus, vel ova sua reponant, quae cum ipsorum securitati tum et sui et suorum nutritioni adeo sint accommodata, ut a providentissimis etiam hominibus vix maiori cura et providentia seligi potuissent.

Quae



Quae omnia documento sunt manifesto, sapientissimum huius universi opificem vel infimis quoque suarum creaturarum adeo benigne prospexisse, ut defectum rationis, cuius adiumento rationales creaturae, quo pacto necessitatibus suis consulant, intelligunt, prorsus eximio instinctuum naturalium dono suppleverit atque compensaverit.

§. VII.

At vero id ipsum, quod instinctus in animalibus rationis vices teneant, et compensationis alicuius loco ipsis sint ingeniti, persuadere posset multis, non valere consequentiam, ut ea, quae in animalibus conspiciuntur, necessario etiam in hominibus poni debeant, quoniam animalis quoque naturae participes sunt. Quum enim in homine animalis natura coniuncta sit cum rationali, nullusque ita defectus locum inveniat, qui supplendus aut compensandus sit, nulla quoque praesto esse videtur ratio, ob quam, quod animalibus tribuit DEUS idem etiam tribuisse hominibus censendus sit. Nemo autem dicet, superflui quid a DEO factum esse, quippe quod non cadit in ens sapientissimum. Sed primo quidem notamus, naturam animantium id videri necessario involuere, ut suis instructa sit instinctibus. Nisi enim hoc ponatur



tur, comprehendi haud poterit, quomodo vel unicum tantum momentum durare possit animal ad existentiam perductum. Quodsi enim instinctus negaretur, eodem impetu e. g. in aquas se immerfuri essent gallinarum pulli, quo anatini in illas feruntur, illi quidem continuo sic perituri. Neque etiam concipi posset, quomodo sensationum essent capacia animalia bruta, quae tamen abesse ab ipsorum natura haud possunt; si adversus omnia ponerentur esse indifferentia, quod poni tamen deberet, si omnes ipsis denegarentur propensiones motusque ad concupiscendum vel averfandum. Cum primum vero statuimus pertinere hos instinctus ad naturam animalem, statuendum quoque erit, deesse illos haud posse homini, quem novimus, ex animali quoque natura participare. Deinde non statim sequitur, superflui aliquid admitti per instinctus homini tributos. Quo praestantior enim est brutis ex nobilissimo rationis dono, eo dignior etiam erat, cuius conservacioni quovis modo consuleretur, cuique non tantum ratio sed et ipsi quoque instinctus media ad ful conservacionem suppeditarent. Negari autem haud potest, cum plurimos instinctus, qui conspiciuntur in animalibus, in hominem nec cadere nec cadere posse. Quemadmodum enim quaeque animantium species diversis usibus diversoque vivendi

gene-



generi a Conditore optimo est destinata; ita quaelibet etiam peculiaribus suis instinctibus finibus hisce respondentibus ipsius munere praedita fuit et instructa, quibus eapropter diversae speciei animantia non poterant non carere. Qui itaque in hominem cadere possunt instinctus, alii certe haud sunt, quam qui omnibus animantibus sunt communes, quales sunt, quos sub initium §. VI. recensuimus.

§. VIII.

Sed investigemus iam, quid sint instinctus, cuiusque sint indolis, atque an praeter animales altioris quoque gradus propensiones naturales adscribi possint homini. Quando autem quaeritur, quid instinctus sit, vel quid propensionis naturalis nomine veniat, non negamus, difficulter id explicari posse. Faciemus tamen rei periculum. Omnis propensio dicit dispositionem ad volitiones quasdam sive appetitiones, aut horum contraria. Naturalis itaque propensio sistet nobis dispositionem ad appetitionum vel averfationum quoddam genus nobis congenitam, et eiusmodi quidem, quae licet haud semper se exerat, nosque eius distincte nobis consciis haud simus, constanter tamen nobis insit, foecunda appetitionum nostrarum actualium mater. Multi, qui multa de
instin-



instinctibus tradiderunt, eorumque doctrinae superstruxerunt plurima, definitionem tamen eorum exhibuerunt nullam. *Illustris* autem BILFINGERVS, a quo hoc argumentum plane non fuit tractatum, nihilominus tamen definitione expressit, quid per instinctum naturalem sit intelligendum. In *Dilucidationibus enim suis* §. 292. ita mentem exprimit: *Instinctus naturalis est species appetitus sensitivi et aversationis ea, quam sine conscientia sui concipimus; Ubi igitur cognitio boni vel mali nequaquam clara esse solet, sed vel obscura solum, vel ita tenuiter clara in tunc, ut tamen non fundet conscientiam sui.* Carum vero est, virum celeberrimum supponere hic tantum eos instinctus, qui animales dici solent. Generalius, sed ut nobis quidem videtur paulo etiam obscurius instinctum naturalem definiuit CRVSIVS. in *Philosophia sua practica*, a) ubi §. 23. dicit: *Ein solches Wollen, welches auch ohne Vorsatz mit einer Beständigkeit fortdauret, wird ein Trieb genennet.* Quid vero per decretum designet, quando instinctum dicit appetitionem etiam absque decreto perdurantem, intelligi potest ex verbis praecedentis paragraphi, quibus decretum definit, inquit: *diejenige Anwendung der Freyheit zu einem vorkommenden Falle, wodurch mandenselben wirklich will, heisst ein Vorsatz.* Fateor

a) cui titulum fecit: *Anweisung vernünftig zu leben.*



Fateor autem, nec nostram, nec has definitiones mihi plene satisfacere, et quomodo quaeso eius definitio condatur, quod ita est comparatum, ut sine sui conscientia concipiatur? Equidem ut clarius rem exponam, instinctuum indolem sic concipio, ut existimem, quemadmodum per consuetudinem homo proclivitatem sibi comparat ad certum genus actionum edendum, easque deinde efficit sine repraesentatione motivorum, vel certe sic, ut horum motivorum sibi haud sit conscius: ita DEum T. O. M. animo humano impressisse eiusmodi dispositionem seu proclivitatem ad appetendum vel averfandum hoc vel illo modo, ut pariter nullorum motivorum nobis conscii simus. Lex est physica appetitus nostri cum rationalis tum sensitivi, ut nihil appetat nisi sub ratione boni, averfetur nihil, nisi sub ratione mali. Pari ratione forsân et appetitibus nostris illa lex est lata, ut cum proclivitate quadam ferantur in illa obiecta, circa quae versantur instinctus, contraria vero abhorreant, vel certe cum reluctatione ea admittant. Uti enim appetimus id, quod est bonum, quia est bonum; ita etiam ferimur in id, ad quod instinctus nos sollicitat. Neque est cur quis dicat, bonum ideo appeti, quia nos perficit. Responderi enim posset, idem etiam dicendum esse de instinctibus, quorum nullus perfectionis nostrae studio con-



contrariari queat, deinde et regeri posset illud, sic iterum quaeri, cur integrum appetitui nostro haud sit, id appetere, quod nostrae perfectioni est contrarium. Nulum est dubium, DEum eapropter voluntati creaturarum rationalium hanc legem dedisse, ut nihil nisi id, quod ipsarum felicitati inserviret, appeterent, quia illarum saluti pro summa sua bonitate quam maxime erat intentus. Quoniam vero saepissime fit, ut homines sub specie boni mala appetant, haud inepte dixit CRVSIVS l. c. §. 26. quicquid appetitioni Spiritus conforme sit, boni nomine venire. Caeterum lubentes concedimus, legem illam appetitus cum rationalis tum sensitivi esse adeo generalem, ut sub illa complurima particularium appetitionum, genera contineantur. Et quid obstat, quominus hanc legem instinctum quoque appellemus? Quodsi igitur quis instinctus naturales vocare vellet leges appetitibus nostris a DEO inditas, secundum quas haec appetant, illa averfentur, nos non habebit contrarios, quamdiu nobis non aliter et aequè perspecta erit instinctuum, indoles, ac quidem ipsorum est existentia, per experientiam abunde confirmata.

§. IX.

Nondum verò respondimus ad quaestionem: an praeter animales altioris cuiusdam ordinis quoque instinctus in homine dentur? Praeter illos autem, qui homini cum omnibus aliis animalibus sunt communes, dari etiam instinctus soli homini proprios asseverare haud dubitat CRUVSIVS, qui l. c. §. 95. dicit: *Die Grundbegierden sind entweder thierische, welche wir mit andern Thieren gemein haben, und welche auf die Endzwecke der thierischen Natur geben, oder menschliche, welche wir vor den Thieren voraus haben, und welche auf ein Object geben, das in einer abstracten Idee gedacht werden mus.* Recenset autem vir doctissimus tres eiusmodi instinctus, solius hominis proprios, videlicet instinctum ad nostri perfectionem l. c. §. III. tendentem, alterum perfectionem in aliis obiectis obviam absque respectu ad nostrâ commoda appetentem §. 122. et tertium, quem conscientiae instinctum appellat §. 132. quo scilicet feratur homo ad actionum suarum moralitatem explorandam ex intimo sensu suae a DEO dependentiae. Non negamus vero admodum nobis probari hanc instinctuum, qui humani dicuntur, doctrinam, cum haud contemnenda praesto esse videantur argumenta, quibus eorundem existentia adstrui solet. Quamvis autem haec pecu-



peculiari disquisitione indagari mereantur, aliqua tamen eorum, quae dici possunt, in compendio exhibebimus.

§. X.

Inesse homini instinctum perfectionis sui, non opus est ut argumentis confirmemus. Nemo enim est, qui de hoc dubitet, et si cui id etiam videatur dubium, lis erit magis de voce quam de re. Perinde enim est, quemadmodum ad finem paragraphi VIII. monuimus, utrum quis dicat legem esse voluntati nostrae congenitam, ut nihil appetat, nisi quod sibi uti bonum repraesentat, an vero id instinctum appellare malit. Negari haud potest, hanc esse volitionum nostrarum naturam, ut quamvis sint liberae, nihilominus tamen ad bonum in genere neutiquam dici possint indifferentes. Quapropter et ROESLERUS c) *Libertas hominis, inquit, non consistit in indifferentia ad bonum et malum in genere: nam bonum in genere et qua tale necessario appetit, malum necessario aversatur. Neque existimo quicquid aliud statui ab illis, qui homini instinctum et nisum ad perfectionem sui tendentem tribuunt.*

§. XI.

b) in *Thematibus Jurispr. nat. Cap. 1. Th. XXXVII.*



§. XI.

Quod ad alterum adinet instinctum, qui perfectionem in aliis obiectis obviam absque respectu ad nostra commoda pro obiecto habet, difficilius est, eius existentiam probare. Multi quidem sunt, qui concedunt, dari gratuitam aliquando hominum adversus alios benevolentiam, suam propriam utilitatem directe haud spectantem, sed sibi persuadent tamen, eam nihilominus resolvi in studium perfectionis sui, quam ad minimum indirecte quaerant beneficis suis inclinationibus homines, oblectationem videlicet illam, quae ex beneficis actibus non potest non perfundi animus humanus, pro fine habentes. Verum hoc sensu instinctus hic non esset distinctus a priori nisi ut species a genere, quod tamen cum CRUSIUS, tum alii quidam recentiores, maxime Angli, aliter se habere existimant, utpote quibus hic instinctus priori neutiquam subordinandus videtur, quemadmodum nec vel minimum ad nostram utilitatem respectum admittere illum arbitrantur. Audiamus vero, quomodo suam adstruant sententiam, et cum FRANCISCUS HVTCHESONIVS, c) hanc spartam ornandam

c) in *Philosophia sua morali maiori in vernaculam nostram conversa.*

U



dam sibi sumferit, multoque cum ingenio hac opera defunctus sit, ipsum potissimum audiamus. Is vero refutat sententiam eorum, qui putant, hominem ob voluptatem, quam ex actibus beneficis sentiamus, benevolentiae versus alios in animo locum concedere, *Lib. I. Sect. III. §. 2.* sequentem in modum ratiocinatus: Es wäre abgeschmackt, wenn man behaupten wollte, diese Freude über den glücklichen Erfolg sey der Bewegungs-Grund der Begierde. Wir dürften keine Freude über den glücklichen Erfolg empfinden, und wir würden keine Begierden haben, wenn nicht die Wahrnehmung eines andern Gutes der Bewegungs Grund gewesen wäre. Es ist unläugbar, daß bey allen unsern eigennützligen oder gemeinnützligen Trieben ein Bewegungs Grund, ein vorgesetzter Endzweck, vorhanden sey, welcher von der Freude über den glücklichen Erfolg, oder über die Entfernung der aus Begierde entstandenen Unruhe unterschieden ist. Denn ausserdem würden alle unsre Begierden die seltsamsten Dinge von der Welt seyn, und wir würden eine Kleinigkeit eben so heftig begehren, als das größte Gut; weil die Freude über den glücklichen Erfolg, oder über die Entfernung der aus der Begierde entstandenen Unruhe, in beiden Arten von Begierden einander gleich seyn würde. Quemadmodum vero sic contrariam sententiam enervat: ita suam quoque adstruit, quando



do d) ita differit: Gratuitam esse aliquando hominum bonitatem, nullam suam utilitatem spectantium, ubi animo benigno et amico alteri consulant, satis constabit, si quisque se excusserit, si vitae suae consilia amica et caritates, studia denique et dilectiones quibus bonos clarosque prosequimur; si morientium curas et studia officiorumque in extremo spiritu conservationes perspexerit; praecipue vero clarorum facta, virorum et consilia, et mortes pro amicis, pro liberis, pro patria, praemeditatas et voluntarias. Addit deinde §. 10. pag. 15. Innatum esse hominibus hunc sensum, testimonio omnium gentium et seculorum, plurima suis suffragiis comprobantium et damnantium, suae utilitatis ratione omnè detracta, satis confirmatur. Quas utilitates astate saepe spectari volunt, aut comprobandi et damnandi causas callide commenti sunt quidam non indocti, ex illis ipsis deprompta argumenta, sensum hunc esse innatum, omnibusque his causis priorem, satis ostendunt. Quae ipsi agenti obventurae sperantur utilitates, sive apertiores sive magis latentes, sua ipsi consilia et actiones commendare possunt, non vero aliis, qui nullum inde captunt fructum. Utilitates aliis ex actione quavis obventurae, sine proximo decoru sensu, eam neutiquam ipsi agenti commendabunt. Quantumvis ipse qui agit sua moveatur utilitate, ea tamen apud alios actionis honestatem imminuere videtur, nonnunquam omnino tollere.

U 2

Bene-

d) in Philosophiæ moralis Institutionis compendiaris Lib. I. Cap. I. §. 7.



Beneficentiam eam praecipue comprobant homines, quam putant gratuitam; quam fucatam simulatamque esse norunt, oderunt. Ubi utilitates apertiores, gloria, gratia, remuneratio spectantur praecipue, exigua aut nulla videtur esse honestas: Haec enim officiorum simulatione non ulla vera bonitate assequimur. Quid, quod et ipsi agenti et aliis, eo honestior videtur recta actio, magisque laudabilis, quo maiore cum laetitia, damno aut periculo fuerat coniuncta. Sed nimis prolixi futuri essemus, quod fortasse iam vitio nobis dabitur, si reliqua quoque viri doctissimi argumenta huc transcribere vellemus. Hinc nec ea, quae CRUSIVS hanc in rem affert, pluribus enarrabimus, id unicum monentes, eum potissimum id urgere, praestantissimas nobilissimasque omnium sententia virtutes propriae utilitatis considerationem respicere, hominemque, quod experientia doceat, nulla suorum commodorum habita ratione, ferri in appetitionem perfectionis maioris, eamque propter se expetere. Non existimamus nullius ponderis esse, quae a viris hisce doctissimis pro confirmanda sua sententia adducuntur, eamque nobis haud videri fundamento destitutam lubentes fatemur. Sed videamus iam quid sentiendum sit de tertio instinctu, quem humanum dicunt.



hunc instinctum peculiariter homini esse inditum, sin aliter obsequium legis obligation praestandum possibile dicendum fit. Clarum vero est, virum doctissimum hic supponere, non satisfieri officio, si ex motivo ab utilitate nostra desumpto legi obsequium praestamus, sed obligationem vel maxime id inferre, ut ex dependentiae nostrae sensu actio suscipienda iudicetur, qua in re nos facile habet consentientes, quibus veterum Moralistarum placita prae quorundam recentiorum opinionibus aliter rem desinentibus arrident. Sic et ROESLERVS e) eundem in modum pronuntiavit: *Patet hinc praecepta legum naturalium non ideo tantum esse observanda, quia manifestam habent utilitatem, sed quia a DEO pro imperio sunt iniuncta.* Subiungit huic argumento alia duo, a divina sapientia et bonitate desumpta, dum asserit, posse quoque huius instinctus existentiam inferri cum ex eo, quod statui haud possit, DEum ad fines ignobiliores obtinendos homini propensiones naturales indidisse, ad nobilissimum vero, qui in virtute ponendus fit, nullam; tum ex eo, quoniam via voluntatem DEI legalem per ratiocinia eruendi multorum hominum captui minus fit accommodata. A posteriori vero sive per experientiam innotescere nobis hunc sensum moralem inde

e) *Themat. Lib. I. Cap. III. Th. XIX.*



concludit, quod hominibus omnibus eadem habeantur honesta et turpia; quod et imperitissimi quique facili negotio de causarum abstrusissimarum moralitate sententiam ferant; quod multi de legis divinae existentia sint persuasissimi, licet eam rationibus adstruere non valeant; quod eruditi ex diversis principiis ratiocinantes eadem tamen placita et facta in exponendo iure naturali deducant, manifesto argumento, officia ipsa ex alio fonte ipsis esse notiora; et tandem quod multi summo studio, sed frustraneo ausu, conscientiae dictamen excutere conentur. Quamvis autem haec argumenta non omnia existimemus eiusdem esse momenti, nihilominus tamen sensus moralis existentiam abunde his demonstrari arbitramur, nullique dubitamus eorum sententiae accedere, qui eiusmodi instinctum eundemque a reliquis diversum dari contendunt.

§. XIII.

Sed nimis forsan prolixi sumus in instinctuum, quod instituendum nobis tamen fuerat, examine. Propius itaque ad rem accedimus, et dispicimus, an instinctus possint esse principium cognoscendi subiectivum iuris naturalis? Ita vero sensisse veteres Stoicos dubitari haud potest, cum documento etiam sit definitio iuris

U. 4

natu-



naturalis, ex huius philosophiae placitis ab ULPIANO in Ius civile illata, qua dicitur id, *quod natura omnia animalia docuit, quod omnium animantium commune est, et cuius animalia, fera etiam, perita censentur.* L. 1. §. 3. et 4. ff. de Iust. et Iur. Itane ergo dicis, ex mente Stoicorum et Ulpiani animalia bruta sunt iuris capacia? At vero hanc sententiam tribui illis nequam posse vel ex eo apparet, quod ipse ULPIANUS L. 1. §. 3. ff. si quadr. paup. disertis verbis negat, iura in bruta cadere posse. Hinc patet vocabulum iuris heic improprie tantum esse sumendum, pro motu et instinctu, quem natura omnibus animantibus indit, adeoque pro lege naturae, quae materiae seu corporibus conata est, iuxta cuius praecepta etiam bruta agunt ex solo impetu naturae et necessitate motus materialis, seposita omni ratione, quemadmodum id latius exponit COCCEIUS f) qui summo studio id agit, ut hanc calumniam a iuris civilis conditionibus amoliat. Magis itaque forsan ex mente Stoicorum et ULPIANI dici poterit, illos per legem naturalem intellexisse illud ius, quod ab hominibus disci possit ex consideratione instinctuum naturalium, qui ipsis cum animantibus brutis sint communes.

§. XIV.

f) in Dissertatione prooemiali quarta ad Groetium illustratum §. XLII.



§. XIV.

Quodsi vero auctoritatibus decidenda est quaestio, longe potior graviorque praesto nobis est, ex summi viri HVGONIS GROTIJ adsensu repetenda. Hic enim, postquam g) id ipsum, quod in antecedenti paragra- pho de Iure naturali ex mente iuris civi- lis conditorum diximus, excusserat, per- git sequentem in modum: *Esse autem ali- quid Iuris naturalis, probari solet tum ab eo, quod prius est, tum ab eo, quod posterius, quarum probandi rationum illa subtilior est, haec popularior. A priori, si ostendatur rei alicuius convenientia aut disconvenientia neces- saria cum natura rationali ac sociali; a poste- riori vero, si non certissima fide, certe pro- babiliter admodum Iuris naturalis esse colligi- tur id, quod apud omnes gentes, aut mora- tiores omnes tale esse creditur. Nam univer- salis effectus universalem requirit causam; tatis autem existimationis causa vix ulla videtur esse posse praeter sensum ipsum, communis qui dicitur. Facile autem liquet ex his verbis, duplicem admittere GROTIJ fontem, ex quo iuris naturalis doctrina hauriri possit et promanet, alterum a priori, rationem, alte- rum a posteriori, quem sensum communem di- cit. Ipse itaque etiam agnoscit, posse instin- ctus eo adhiberi, ut ex iis, ad quid DEUS natu-*

U 5

rati-

g) de Iure Belli ac Pacis Lib. I. Cap. 1. §. XI. et XIII.



raliter nos velit obligatos, addisci queat. Ulterius vero hanc suam sententiam confirmat b) dicens *Haec autem ipsa quaestio, ut et aliae, quae deinceps sequentur, ad ius naturae primum exigenda est: M. TVLLIVS CICERO tum tertio de finibus tum aliis in locis, ex stoicorum libris erudite disserit, esse quaedam prima naturae, τὰ πρώτα κατὰ φύσιν, quaedam consequentia, sed quae illis primis praeferrenda sint. Prima naturae vocat, quod simulatque natum est animal, ipsum sibi conciliatur et commendatur ad se conservandum, atque ad suum statum, et ad ea, quae conservantia sunt eius status, diligenda: alienatur autem ab interitu iisque rebus, quae interitum videantur afferre. Hinc etiam ita fieri, ut nemo sit, quin cum utrumvis liceat, aptas milit et integras omnes partes corporis, quam eisdem usu imminutas aut detortas habere: primumque esse officium, ut se quis conservet in naturae statu, deinceps ut ea teneat, quae secundum naturam sint, pellatque contraria. Quantacunque autem fuerit GROTIJ auctoritas, non tamen omnibus, qui commentariis suis praestantissimum ipsius Opus de Iure belli ac pacis illustrare aggressi sunt, probatur haec, quam tulit, de Iure naturali ex instinctibus etiam repetendo, sententia, et inter eos maxime a doctissimo FELDENO reprehenditur. Huius autem viri censurae tuam pro GROTIO defensionem opposuit*

b) *l. c. Lib. I. Cap. II. §. I.*

τολύμαθ' ἰσάτοσ' ΙΟΗ. ΗΕΝΡΙCΥS ΒΟΕCΚΛΕRΥSΙ)
 verbis his: Adeo hic concurrat ratio natura-
 lis sive socialis cum primis naturae, ut sola
 cogitatione separari queant. Imo ratio prima
 naturae in homine in eum habitum format, ut
 hominis esse videantur. Concurrat scilicet cum
 primis naturae lex naturae, et institutum
 ratio excipit perficitque ac denominat. Quo
 fit, ut prima naturae non determinata per ra-
 tionem nullum hic locum haberent, quando de
 iure quaeritur. Ius enim cum brutis commune
 non agnoscit Grotius. Quem FELDENVS pro-
 pterea accusat, quod oratorio potius, quam
 philosophico instituto, hic prima naturae con-
 vocaverit. Sed aliud est, ius homini cum
 brutis commune agnoscere: aliud ab illis ini-
 tiis et appetitu sensitivo naturae animalis,
 comparatione quadam instituta et gradibus ad
 convenientiam illam naturae rationalis procedere.
 Sufficere haec possunt, licet in sequenti-
 bus verbis multa adhuc afforat ad hoc
 argumentum spectantia, eique multam lu-
 cem affundantia.

§. XV.

Nemo autem non videt, plurima con-
 tinere haec GROTIJ testimonia, quae non
 tantum auctoritatis sed et probationis
 loco adhiberi queant. Neque certe hic
 vir

1) in Commentatione in Hug. Grotii Ius Belli
 ac pacis. p. m. 177.



vir quicumque suo comprobavit calculo, quod non idoneis simul argumentis plerumque confirmaverit. Qua vero ratione ea, quae vix ex GROTIŌ adduximus, ad resolvendam hanc quaestionem applicari possint, statim indicabimus, paucis tantum recentiorum quorundam Philosophorum sententias eandem respicientes allegaturi. Inter omnia vero systemata, quibus Iurisprudentia naturalis tradita est, vix quoddam minus eorum sententiae favet, qui instinctuum aliquam habendam esse rationem contendunt, ac quidem id, quod summo Philosopho CHRISTIANO WOLFFIO debemus. Adeo enim vir hic doctissimus ad propensiones istas naturales haud respexit, ut neque in Psychologia sua empirica, cui tamen suum philosophiae practicae systema superstruxit, ullam earundem mentionem iniecerit. Nihilominus tamen inter eos, qui Wolffianam placita secuti sunt, non plane defuit, instinctuum quoque considerationem in Iurisprudentia naturali locum invenire agnovit. Celebrerrimus enim HENRICVS KOEHLERVS, qui philosophandi rationem a WOLFFIO profectam quidem adoptavit, sed eandem etiam pro singulari, quae ipsi erat, ingenii felicitate et eruditione emendavit, multisque accessionibus locupletavit, instinctuum non meminit tantum, sed et multum eorum posse esse usum in condendo



dendo Iure naturali fassus est. Ita enim ^{k)} pronunciat: *Experientia nos docet, dari in nobis instinctus seu stimulos naturales, qui sunt appetitus sensitivi et aversationis sensitivae eiusmodi species, in quibus cognitio boni vel mali vel obscura solum vel ita tenuiter clara in perceptione totali deprehenditur, ut tamen non fundet conscientiam sui. Huc spectat instinctus seu desiderium felicitatis; amor sui, instinctus imitandi alios, stimulus curiositatis, (de quo celeberrimi GESNERI programma hiemale Anno 1734. editum exstat) instinctus edendi, bibendi, se conservandi et defendendi vitam membraque corporis contra iniurias et pericula externa, se restituendi in statum plenariae libertatis. Porro huc referantur instinctus procreandi sui simile, concumbendi cum sexu altero, stimulus libidinis, instinctus sobolem nutriendi, educandi, conservandi et custodiendi &c. Et in Schollo 3. §pho huic subiuncto addit: Nec ullum forte datur officium, ad quod explendum Deus nos natura obligare voluit, cui non respondeat instinctus quidam naturalis. Pergit autem sequenti paragrapho: Instinctus, hos ad naturam nostram spectare inferius patebit. Neque adeo eos in concipiendo iure naturae negligendos esse, ex materiis momentosis specialibus videbimus. Quae posteriora viri doctissimi verba maxime respiciunt ad ea, quae in Speciminibus Iuris Social. et Gentium Spec. II. statim sub initium et sequentibus paragraphis*

^{k)} in *Exercitationibus Iuris naturalis* §. 163.



phis de instinctu, qui inest hominibus, ad procreandam prolem tradit.

§. XVI.

Sunt vero et alii ex recentioribus Philosophis, qui hunc instinctuum usum in adstruendo iure naturali non insuper habendum esse putant. Sic venustissimi ingenii vir IOH. CHRISTIAN CLAPROTH, Professor quondam Göttingensis, lugentibus musis praematureo fato ereptus, in elegantissimo Iuris naturalis compendioso, *l)* instinctuum doctrinam non tantum adstruxit, sed eandem etiam, at vero rationis dictamini subordinatam, secutus est. Sic doctissimi viri fratres BECKMANNII Professores pariter Göttingenses in commentatione sua, *m)* multo cum iudicio scripta, instinctus pro Iuris naturalis principio cognoscendi subiectivo habendos esse non contendunt tantum, sed et rationibus evincunt. Sic et Celeberrimus D. AVGVSTVS FRIDER. MULLERVS, Professor Lipsiensis, in eleganti commentatione *n)* idem omnino pronunciavit. Ita enim *p.* 8. *in nota*; Coniungo, inquit, *utrumque sensum et rati-*

l) Grundrifs des Rechts der Natur.

m) Gedanken von den wahren Quellen des Rechts der Natur.

n) de notione legis naturalis detracta utilitate ratione concepta.



*rationem: Utriusque enim iudicium in consti-
tuendo summo bono conspirare debet. Sed suf-
ficient, hos excitasse, et quod hactenus
auctoritatibus firmavimus, iam etiam ra-
tionibus est fulciendum.*

§. XVII.

Dicamus itaque, quod res est, et cur
instinctuum usus in iure naturali investi-
gando non sit negligendus, ostendamus.
Et primo quidem ipsa legis naturalis ap-
pellatio id infert, ius illud ex ipsa natura
humana eiusque consideratione esse deri-
vandum. Quemadmodum vero nemo di-
cet, sola ratione illam absolvi: ita nec
ex ratione sola eiusque dictamine eruenda
esse legis naturalis doctrinam quivis
intelligit. Atque id ipsum quidem, quod
olim nulla fere in adornando iuris na-
turalis systemate instinctuum fuit habita ra-
tio a viris doctis occasionem praebuit
*Celeb. Viro HOMBERGIO ZV VACH p.) se-
quentem in modum adversus illos infur-
gendi, ut diceret: Porra si ratio est lex
hominis, ut multi ex Graecis et Latinis Phi-
losophis docent, illa certe non aliam ob cau-
sam pro natura humana accipi potest, quam
quia ratio homini propria, congenita et natu-
ralis est, sicut hinnire est naturale equi. Sed
ratio*

*o) in Dubiis suis Iuris naturae Cap. II. §. 12.
pag. m. 16. et 17.*



ratio non est unicum illud, quod homini congenitum est. Non potest homini corpus detrahi, uti nec reliqua, quae cum bestiis habet communia. Haec Romani ad Ius retulerunt, et merito quidem. Poterimus ergo et nos ea ad naturam referre. Nihil quippe interesse videtur, si quaedam praeter humanam rationem in natura reperiantur. Nil proinde ad rem facit, quod anima eiusque facultates sint forma hominis. Certum quippe est illam solam hominem non constituere. Uti vero haec haud praeter rem monentur a viro doctissimo: ita planum est, hanc obiectionem non ferire eos, qui Ius naturale etiam ex instinctibus repetunt.

§. XVIII.

Porro et ipsa natura instinctuum argumento, est sistere illos homini viam cognoscendi Iuris naturalis. Sunt enim leges appetendi facultati eum in finem a DEO inditae, ut his stimulis excitati homines ferantur in ea, quae voluntati circa homines divinae conveniunt. Neque enim dici potest nullo, neque etiam alio fine congenitos esse homini instinctus, nisi hoc, ut destinationi suae conformiter vitam ageret. Hoc vero si admitti debet, omnino pro praeconibus voluntatis divinae, sive illius legis, quae omnes homines



nes ex aequo et naturali obligatione stringit, habendi sunt.

§. XIX.

Uti vero id ex natura instinctuum generatim considerata colligi potest; ita singulorum quoque indoles idem demonstrat. Quis enim non videt, instinctum se conservandi, illam *σοφυν*, qua a se genitos naturali motu complectuntur homines, sensum illum humanitatis, et sic porro, manu quasi nos ducere ad officia, quae a lege divina a nobis exigi per rationem constat. Quum itaque DEUS et per instinctus nos doceat, quid a nobis fieri velit, oppido necesse est, ut illos habeamus pro principio legem naturalem cognoscendi subiectivo. Quodsi vero haec et de iis instinctibus valent, quae nobis cum animantibus reliquis sunt communes, multo magis id statuendum erit de iis, qui solius hominis proprii sunt. Hi enim proxime respiciunt naturam hominis moralem, et hinc praeprimis etiam sunt digni, ad quos attendamus solícite, ex quibusque officiorum nostrorum cognitionem hauriamus.

§. XX.

Ita vero, inquis, opus haud erit, ut in adstruendo iure naturali ad rationis de-

X

cem-



decempedam aliquid exigamus, quum quae vel agenda vel omittenda sint, sufficienter ex instinctuum motibus queant intelligi. Absit vero id quam longissime. Sua enim manet nihilominus rationi praerogativa, neque quicquam eius praestantiae per hoc motuum internorum praeconium detrahitur. Nemo enim negabit, distinctam cognitionem, qualis est ea, quam ratio nobis suppeditat, praefendam esse confusae, cuius generis cognitio non potest non cum instinctibus esse coniuncta, et clarum est, multo minus errari posse in in diudicanda actionum moralitate, ubi actionis alicuius vel convenientiam vel disconvenientiam cum divinis attributis ex rationis dictamine definire noyimus, quam ubi solus ille sensus internus iudiciorum nostrorum norma est. Hinc conficitur, duplex dari principium cognoscendi iuris naturalis subiectivum, alterum in instinctibus, alterum in ratione collocandum. Illud pandere nobis viam indagandi ius naturae a posteriori, sive per experientiam, hoc a priori voluntatem illam DEI aeternam et immutabilem nobis patefacere. Illud secundarium, hoc vero primum iure suo dici posse. Quantopere vero hoc illi sit praefendum, dum dissertationi huic finem imponimus, verbis GROTII quam nostris exprimere maluitis. Ita vero vir summus post ea, quae superius

§.XIV.



S. XIV. allegavimus, Lib. I. Cap. II. 6. I. num. 2. pergit: *At post haec cognita (prima videlicet naturae) sequi notionem convenientiae rerum cum ipsa ratione, quae corpore est potior; atque eam convenientiam, in qua honestum sit propositum, pluris faciendam, quam ad quae sola primum animi appetitio ferebatur; quia prima naturae commendant nos quidem rectae rationi, sed ipsa recta ratio carior nobis esse debeat, quam illa sint, a quibus ad hanc venerimus. Haec cum vera sint; et ab omnibus, qui iudicio sano sunt praediti, facile sine alia demonstratione assensum impetrent, sequitur in examinando iure naturae primum videndum, quid illis naturae initiis congruat, deinde veniendum ad illud, quod quamquam post oritur, dignius tamen est; neque sumendum tantum, si detur, sed omni modo expetendum.*

COROLLARIA

Strictim sistentia eorum nonnulla, quae ob temporis angustiam in ipsa Dissertatione pertractari nequiverunt.

I.

Haud inepte instinctus comparari poterunt cum vi inertiae. Quo enim loco haec est in corporibus, eo sunt illi in substantiis.

X a

II.



II.

Optime forsan oraculum Paulinum Rom. II. 15. ubi legem cordibus hominum inscriptam esse asserit, ex instinctuum doctrina poterit explicari.

III.

Neque etiam doctrina de notitia legum naturalium insita dudum in scholis recepta aliud quid dicet, quam quod de instinctibus adstruximus.

IV.

Sive enim illam describas per notitiam habitualement aut habitui analogam, sive per potentiam proximam, quae coniuncta est cum naturali quadam propensione, qua intellectus ad assentiendum fertur, nihil dices aliud, nisi forte quod magis obscurum est.

V.

Licet demus, Ius naturae ex instinctibus posse et debere derivari, alienissimi tamen sumus ab illo systemate, quod **Celeb. SCHMAUSIUM** auctorem habet.

T A N T V M.



X.

DISSERT.

Qua Rem Fructusque consumptos a bonae fidei possessore non restitui debere, contra receptam Moralistarum sententiam asseritur.

Tubingae. m. Oſ. MDCCLIX.

§. I.

Nunquam inutilis visa est eorum opera, qui Iuris naturalis scita ad Iurisprudentiae Romanae placita applicantes maiorem huic lucem affundere, atque notatis utriusque Iuris discriminibus ex legum civilium cum aeternis istis iusti honestique normis vel convenientia vel discordia, quantum hisce pretium sit statuendum, aut ex instituto, aut data occasione, definire atque commonstrare instituerunt.

§. II.

Haud enim postremus est inter fines, quorum in gratiam digna habetur Iurispru-



prudētia naturalis, quae data opera et disciplinae peculiaris in modum excolatur, ut videlicet Iuri civili explicando atque illustrando inserviat, quod viri docti et agnoverunt passim, et in medium quoque allatis rationibus confirmarunt. a)

§. III.

Atque id ipsum quoque movit summum virum, HVGONEM GROTIUM, ut in praestantissimo libro *de iure Belli ac Pacis*, quo Iuris naturalis doctrinas iusto ordine traditas primus recluserat, et cohaerens earun-

a) Conf. HVGONIS GROTIUS *de Iure Belli ac Pacis Proleg.* §. 30-32. J. H. BOEHMERUS; in *Introd. in Iur. Publ. Univers.* Part. gen. Cap. 4. §. 1. 2. 3. ADAM FRIDER. GLAFET in *dem Recht der Vernunft; Proleg.* §. 15, 16. CHRIST. LVD. CRELLIUS, *de adiumentis Iuris Civ. ex Iure natur.* HENR. DAV. MISPEBLUMBETER *de Convenient. Iuris Civ. Rom. cum aequitate natur.* JOH. BALTH. WERNHER *de Auctoritate Iuris Civ. circa obligationes natur.* Cum primis vero huc etiam referri debent, quae ab ipsis Iuris Civilis conditoribus hanc in rem egregie dicta sunt §. ult. *Inst.* et §. 1. ff. *de Iustitia et Iure*, quaeque a Cicerone *Lib. 1. de Legibus* tradita sunt, qui omnis iuris stirpem a natura repeti debere docet.



fundem *Enchyridion* condiderat, passim ad Iuris civilis et Romani maxime placita respiceret, atque quid in iis cum laudandum tum vituperandum sit, ostenderet; cuius rei complurima exempla ex universo isto opere collecta allegare facile liceret, nisi vel ad solum libri secundi octavum caput provocasse sufficeret,

§. IV.

Quamquam autem acutissimi huius viri maxima apud nos est auctoritas, et prae omnibus fere, qui de iure naturali praeceperunt, si summam rei spectes, primas ipsi dandas putamus, neque negamus, eum in plurimis, quae iuris civilis definitionibus obiecit, in iisque desideravit, censuram adhibuisse, uti accuratam, ita nec iniquam: sunt tamen aliqua, quae nobis non satis probantur, quibusque ut nostrum adiiciamus calculum, impetrare abs nobis haud possumus.

§. V.

Pertinet vero huc haud postremo loca, quod de restitutione rei et fructuum a bonae fidei possessore consumptorum adversus P. IUSTINIANI decisionem monuit, qui non tantum restitui eos non debere, sed et hanc sententiam ipsius Iuris natu-



ralis dictamine confirmari pronunciavit, quod ex §. 35. *Inst. de Rerum Divisionibus* patet, ubi ita Imperator: Si quis a non domino, quem dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliave qualibet iusta causa aequae bona fide acceperit: naturali ratione placuit, fructus, quos percepit, eius esse pro cultura et cura. Et ideo si postea dominus supervenerit, et fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest. Ei vero, qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessum est: itaque cum fundo etiam fructus, licet consumpti sint, cogitur restituere.

§. VI.

Aliter vero, ut diximus, visum est GROTIO, qui Iure naturali etiam rem et fructus a bonae fidei possessore consumptos esse restituendos censuit, cuius auctoritatem secuti non tantum ipsius commentatores fere omnes, sed et, quantum nos quidem novimus, Moralistarum plerique idem senserunt, b) Iurisque romani auctoribus erro-

b) Nolumus ultra GROTII aetatem ascendere, fontesque ipsos adire, ex quibus vir hic doctissimus sua irrigavit prata. Possimus enim hic excitare ex Scholasticorum numero viros celeberrimos AZORIOS, REBELLOS, RODRIQUEZIOS, LESSIOS, SANCHE-



erroris hallucinationisque notam inusserunt. Quod cum nobis, hoc argumentum in praelectionibus nostris tractantibus, quaeque in utramque partem dici possent, ponderantibus, se haud probaverit, existimavimus, nec ab instituto nostro alienum, nec orbi litterario ingratum futurum, si in hoc libello academico huius argumenti examen institueremus.

§. VII.

Audiamus autem primo loco ipsum GROTIVM, et deinde, quid aliis placuerit, adiiciamus, ut causa recte cognita demum ferri possit iudicium. Is vero de *Iure Belli ac Pacis L. II. Cap. VIII. §. 23.* sic loquitur: *Bonae fidei possessor ut fructus omnes ex re suos faciat, quos percepit, naturae itidem non est, sed hoc tantum, ut ius habeat, impendia in rem facta et operam utilem imputandi, ac pro iis deducendi fructus perceptos; imo et exstantes, si aliter non fiat ei restitutio, retinendi.*

X 5

§. VIII.

CHEZIOS, et licet paulo aliter ac hos, idem tamen quod rem ipsam cum GROTIO sentientes MYNSINGEOS, FACHINAEOS, COVARRUVIAS aliosque. Sed sufficiet id indicasse, cum prolixiori expositione pro instituti nostri ratione haud opus esse videatur.



§. VIII.

Quamvis autem, citato hoc loco, sententiam suam nullo firmaverit argumento, causae tamen suae non defuit, defectumque hunc supplevit capite decimo, quo de obligatione, quae ex dominio oritur, agit, ubi sequentem in modum §. II. differit: *De Rebus non extantibus hoc humana generi placuit, ut si tu ex re mea factus es locupletior, me rem non habente, in tantum tenearis, in quantum es factus locupletior; quia quatenus ex meo lucratus es, plus habes, quam ego minus habeam; introducta autem sunt dominia ad servandam aequalitatem, in eo scilicet, ut quisque suum haberet.* Quibus addit §. V. consuetarium ex regula hac generaliorem fluentem, et ad fructuum consumptorum restitutionem propius spectans, dum ait: *Tertio bonae fidei possessorem teneri ad restitutionem et rei et fructuum consumptorum, si modo alias quoque tantundem consumpturus fuerat; nam in hoc locupletior censetur.* Sic laudatur circa initia imperii C. Caesar Caligula, quod quibus regna restituit, adiecit et fructus medii temporis.

§. IX.

Clarum verò est ex iis, quae allegata sunt hactenus, nullo alio sententiam Grotianam niti fundamento, quam quod iure naturali nemo cum alterius damno fieri de-

debeat velle locupletior. Quod enim ad exemplum C. Caesaris Caligulae adinet, id, uti nec probat quicquam, quae communis est exemplorum indoles, ita nec, quod deberet tamen, illustrationi inservit, cum videlicet non constet, iurene an iniuria regna ista fuerint adempta, et praeterea neutro casu Imperator bonae fidei possessoris personam sustinuisse dici queat. Omnia itaque eo redeunt, ut disquiratur, quousque argumentum GROTII ipsum, id, quod probandum suscipit, demonstret. Quo de, ubi, quid alii viri docti hanc in rem dixerint, paucis ostenderimus, postmodum dispiciemus.

§. X.

Inter Commentatores autem Grotianos omnes fere pedibus quasi in Magistri eunt sententiam, quo nomine recensendi nobis veniunt, IO. FRID. GRONOVIVS, GUILIELMUS VAN DER MUELEN, CASPAR ZIEGLERUS, ULRICUS OBRECHTYS, IO. TESMARRUS, VALENT. VELTHEMIUS, IO. ADAM, OSIANDER, HENRICUS HENNIGES, quin et HENRICUS et SAMUEL DE COCCEII, Pater et Filius, c) ut taceamus alios, qui quem-

admo-

c) Superfluum esset horum virorum Scripta sigillatim recitare. Cum enim omnes suis commentariis Grotianum opus illustrarint, neque



admodum IO. WOLFG. IAEGERUS, hoc argumentum sicco pedo praeterierunt. Ita vero hi viri suum GROTIUM adiecerunt calculum, ut ipsius sententiam nullis novis argumentis confirmare allaboraverint. Qui secus sentiunt, de iis postmodum dabitur dicendi occasio.

§. XI.

Non satis sibi constare videtur SAMUEL PUFENDORFFIUS, quippe qui eodem quasi impetu Grotianam sententiam et amplectitur et reiicit. Vidit, quibus incommodis prematur GROTII assertum, neque tamen vim argumenti, quo usus is erat, infringere ausus est. Atque id quidem in rem praesentem euntibus non potest non in oculos incurrere. Ita enim de *de Iure Nat. et Gent. Lib. IV. Cap. XII. §. VI.* hoc de argumento differit: *Circa res autem alienas, bona fide paratas et consumptas, id videtur aequitati naturali maxime conveniens, ut non quidem totam eius aestimationem, sed quantum inde locupletior est factus alter, qui consumpsit, Domino restituat. — Assertionis autem huius ratio non tam haec est, quod dominia sint introducta ad servandam aequalitatem*

in
neque aliam servarint ordinem, quam quem tenuit GROTIUS, cuiusque notata iis ipsis locis, quos ex Grotiano libro attulimus, subiuncta esse deprehendimus.

in eo scilicet, ut quisque suum haberet; quatenus autem alter re mea lucratus est, ille plus habet, cum ego minus habeam; quam quia res, cuius dominium neque meo consensu neque ex delicto aut iure belli amisi, ad me adhuc pertinet, uti et quicquid ex eadem provenerit. Igitur ubi eadem in alterum incidit, et is ex ea consumpta lucrum cepit, bona quidem fides ipsam merito indemnem praestat; lucrum autem me reposcente nullo praetextu retinere potest, cum idem sit velut pars, aut fructus superstes rei ad me pertinentis.

§. XII.

Videtur quidem iam in his verbis corrigere voluisse GROTIUM, sed reapse nihil dicit aliud, et id quidem, quod emendare voluit, nulla etiam emendatione indiguit. Imo vero, si dicendum, quod res est, diversis tantum verbis idem dicit PUFENDORFFIUS, quod dixerat GROTIUS. Nonne enim perinde est, dum probare volumus, neminem debere fieri velle locupletiores ex re alterius cum ipsius damno, sive huius asserti rationem inde repetamus, quia dominia sint introducta, ut quisque suum haberet, sive dicamus, id eapropter aequum esse, quia dominium rei ad ipsum pertineat? Illud rem verbis generalibus, hoc ad casum proxime relatis exprimit. Aut enim verba GROTII nul-



nullum habent sensum, aut hunc, quem PUFENDORFFIUS suam peculiarem sententiam esse sibi persuadet.

§. XIII.

Licet igitur in verbis modo excitatis ne latum quidem unguem a GROTHII sententia recedat PUFENDORFFIUS: tamen alius est locus, qui sufficienti est argumento, sensisse ipsum, quibus obnoxia est haec hypothesis, difficultates quasdam. Eodem enim et libro et capite §. IX. sequentem in modum pergit: *Possessor bonae fidei tenetur ad restitutionem rei et fructuum consumptorum, si modo alias quoque tantundem consumpturus fuerat. Nam in hoc locupletior censetur, dum consumtis rebus alienis suas servavit. Ubi tamen iudicaverim, praeter limitationes superiori definitioni additas, hoc quoque considerandum, an possessor bonae fidei possit recuperare id, quod sibi re evicta decedit ab eo, abs quo rem oneroso titulo accepit. Nam sic hoc fieri nequit, haud quidquam locupletior amplius est bonae fidei possessor, restituta re aliena, cuius pretium ab auctore suo recuperare nequit. — Inde verius putaverim possessorem bonae fidei non teneri restituere destinationem rei consumptae, ubi ab auctore suo evictio praestari nequit. Nam hoc modo non potest esse ceteri factus locupletior. Et durius videtur*



vir rei consumptae aestimationem, quam rem ipsam adhuc exstantem restituere.

§. XIV.

Qui has PUFENDORFFII observationes cum GROTII positionibus contulerit, dubius erit, utrum hisce suis limitationibus mentem sententiae Grotianae tantum clarius exponat, et maiori accuratione determinet, an vero ab ipsius placitis tantisper recedat? Dum enim GROTIUS asserit, restitui debere id, quo quis locupletior est factus, videri potest istum casum tacite excepisse, quo bonae fidei possessori, qui rem oneroso titulo sibi comparavit, ab auctore suo evictio praestari nequit. Neque forte est, cur dubitemus, hunc GROTII verbis PUFENDORFFIUM tribuisse sensum, cum totius huius observationis facies demonstret, ipsum magis interpretis quam censoris vice fungi voluisse. Nostro autem iudicio vix dici potest, sententiam Grotianam id pati, ut in aestimatione instituenda, utrum quis locupletior sit factus, nec ne, decidendi ratio, ab evictione vel speranda, vel non speranda repetatur. Quemadmodum enim procul dubio fructus exstantes vindicanti domino sunt restituendi ex iure domini ipsi competente, sine omni ad evictionem respectu, quod clarissime dicit

GRO-



GROTIUS, dum causam huius obligationis ex dominio alterius repetit: ita pariter nulla evictionis habita ratione, consumptos esse restituendos censet, in quantum ipso fructuum istorum usu locupletior quis factus est, hoc est, suis rebus, quas hisce deficientibus omnino consumpturus fuerat, pepercit, sive sequatur evictio sive non sequatur. Si aliter sensisset GROTIUS, aliter sane loqui debuisset, quod facturus certe fuisset vir, brevitatis quidem sed simul et accuratationis in scribendo studiosissimus. Planum vero ex his est, et idem et diversum statuisset PUFENDORFFIUM, si ipsum cum GROTIUS contendamus, magisque sensisse incommoda sententiae Grotianae, quam illam emendasse, quod clarius adhuc perspicietur ex iis, quae a nobis in ipso propositae quaestionis examine et resolutione postmodum dicentur, ex quibus apparebit, non omni hoc monitum destitui fundamento.

§. XV.

Dum vero de PUFENDORFFIO nobis sermo est, non putamus silentio praetereundum esse, quod idem vir celeberrimus, cum morales doctrinas indagare primum coeperat, suasque meditationes, in *Elementorum Iurisprudentiae universalis Libris duobus*, cum orbe erudito communicaverat, de bonae fidei possessoris et iuribus et



et obligationibus tam diversa ab iis, quae haecenus consideravimus, statuerit, ut in contraria omnia abierit. Ibi enim et quidem *Lib. I. Def. V. §. 25. pag. 77. et 78.* disertis verbis docet, b. f. possessorem, si efficaciter ignoret, rem a se iusto titulo acquisitam, bonaque fide possessam, iniuste alteri ereptam fuisse, hancque suam ignorantiam circa vitium rei nulla sua negligentia sibi contraxerit, quicquid in contrarium statuunt leges positivae, iure certe naturali ne conveniri quidem posse a vero rei domino, atque adigi, ut rem restituat, sed huic apud eum, a quo iniuste ipsi erepta est, suum ius esse quaerendum et persequendum. Audiamus ipsum hac de re differentem; *Quodsi enim, inquit, tertius possessor non modo nihil de vitio rei percepit, sed etiam neque ex conditione rei neque venditoris probabiliter id suspicari potuit, puta, quando publica est praesumptio, talem hominem tales res bono posse titulo possidere; non videtur ipsum immediate esse conveniendum, sed ereptori soli negotium facessendum. Cum enim iste modo communiter recepto rem istam acquisiverit, nec vitium nosse potuerit, nulla adparet ratio, quare ipse vel dicta re citra compensationem spoliari debeat, vel onere pensationem damni a venditore suo extorquendi gravari potius, quam alter, qui rem suam persequitur; Vitiositas enim acquisitionis in talem possessorem cum effectu aliquo non transit; eo,*

Y

quod



quod eiusmodi vitia rebus adhaerentia, et ex his in personas resultantes obligationes in tertiam personam derivari nequeant citra ipsius factum aut omissionem culpabilem, qualis hoc in casu non datur. Non putamus praeter rem factum abs nobis esse, ut haec apponemus. Licet enim, quod vidimus, ipse PUFENDORFFIUS cogitationes hasce suas priores in posterioribus correxerit, et hoc ipso sufficienter demonstraverit, se quoque iudice, haec esse improbanda: tamen vel eapropter utile erit, haec recensuisse, quoniam obiectionis instar esse possunt, quae in sequentibus erit diluenda.

§. XVI.

Progredi iam nobis liceret ad eos, qui a GROTIO dissenserunt, nisi consultum duceremus, unius alteriusve adhuc mentionem facere, qui ad huius viri sententiam accedunt, quosque vel eo etiam nomine non praetereundos putamus, quia eorum in re literaria haud mediocris est auctoritas, ut taceamus, nos sic occasionem nacturos esse, nonnulla observandi, quae ab argumento et instituto nostro, non abluunt, quin potius maiorem dicendis claritatem conciliare poterunt.

§. XVII.



§. XVII.

Potissimum vero systematis WOLFFIANI etiam habenda est ratio, quod uti recentius est, et demonstrationis rigore se commendat: ita longe plurimos in sui amplexum traxit. Nihil vero heic repertas, quod a GROTII mente vel minimum abeat. Illustris WOLFFIUS enim in *Iure Naturae metodo scientifica pertractato Part. II. §. 586. et 597.* et de re et de fructibus consumtis, pro mensura lucri exinde percepti, restituendis, ita agit, ut in utraque illa demonstratione, quam positionibus suis subiungit, nihil occurrat, quod non iam a GROTIO, licet tribus tantum verbis, dictum sit prius, atque vel ex ipsis terminis pateat. Quapropter nec prolixiores istas sic appellatas demonstrationes huc transcribemus, neque opus esse putamus, ut de reliquis, qui WOLFFIANA placita secuti sunt maxime, quidquam addamus. d)

Y 2

§. XVIII.

d) Referri huc etiam potest ISR. THEOPH. CANZIVS, qui WOLFFIANA potissimum placita secutus est, licet nunquam in verba magistri iuraverit, liberrimeque philosophatus sit. Is vero in *Disciplinis moralibus omnibus Discipl. III. Part. II. Sect. II. Cap. I. §. 1968.* eadem ratione rem definivit.



§. XVIII.

Pertinet huc quoque vir eruditionis laude, itilique elegantia celeberrimus, IOH. GOTTLIEB HEINECCIUS, de quo quidem adhuc dubitari posset, an ad hanc classem sit referendus? Fctsi enim negari non potest, doctissimum hunc virum in docendo prae multis aliis sua se perspicuitate commendare, lubentes tamen fateamur, in hoc, de quo quaestio nobis est, argumento, eum sibi vix satis constare videri, cum confectaria ipsius, pro methodo, quam adoptavit, axiomatica, ex principiis antè stabilitis deducta, vix sibi invicem respondeant. Quando enim in *Elementis Iuris Nat. et Gent.* Lib. I. §. 312. dicit: *Quia tamen non est verus dominus, qui rem alienam bona fide possidet, nulla sane ratio est, cur cum veri domini damno velit fieri locupletior, quemadmodum nulla ratio est, cur dominus fructus non exstantes, quos cura industriaque sua non produxit, sibi vindicare velit; quis est, qui non inde inferat, HEINECCIUM statuere, obligari bonae fidei possessorem quidem ad restitutionem rei ipsius, forte et fructuum exstantium, ne-tiquam vero eorum, qui non amplius exstant? Quod ipsum confirmat nota huic Spho adiecta, in qua ita pergit: *Accessio enim naturalis, cuius de dominio non constat, pro re nullius habetur; adeoque cedit occupanti.**

Quum



Quum ergo fructus occupaverit bona fide possessor, qui eos omni adhibita cura et cultura producit: huic cur isti eripiendi sint, nulla est ratio. Et hinc non absurde ius Iustinianum ait: naturali ratione placuisse, fructus, quos PERCEPIT, bona fide possessoris esse pro cultura et cura. Nec alia ratio est fructuum civilium, Nihil monebimus hic circa argumentum ab occupatione desumptum, quod suo certe loco non est, sed id tantum repetimus, neminem non ex his verbis persuadere sibi debere, ex HEINECCII sententia fructus a bona fide possessore restituendos esse nullos.

§. XIX.

At vero, quod dare hac manu videbatur, altera iterum aufert, dum, postquam sequenti §pho dixerat, domino, vindicanti rem suam, restituendas etiam esse accessiones, quippe quarum de domino iam constet, eumque recte etiam petere fructus exstantes et pendentes, deductis tamen prius impensis, tandem §. 314. addit: *Quumque accessio naturalis, cuius de domino non constat, tanquam res nullius occupanti cedat, neque de fructibus civilibus aliud sit statuendum; consequens est, ut fructus percepti merito relinquendi sint bonae fidei possessori, qui culturam et curam adhibuit, NISI IIS FACTVS SIT LOCUPLETIOR.* Non capio profecto, qui fieri potuerit, ut vir

Y 3

tam



tam perspicax, et methodi adeo tenax in haec *accusata* incideret. Vix dixerat, nullos restitui debere fructus, utpote pro cura et industria, imo occupationis iure, ad b. f. possessorem pertinentes, et statim sequentibus sphis sententiam resorbet, dum fructus exstantes et pendentes, salvis tamen impensis, restituendos esse dicitur, perceptos vero iterum b. f. possessori adiudicat, limitatione tamen, nisi iis locupletior sit factus. Itane ergo, qui rem nullius occupat, cum damno alterius sit locupletior? Ingenuè fateor, tantam mihi non esse perspicaciam, ut in haec idearum confusione ordinem cohaerentiamque detegere queam. Id tamen mihi videor perspicere, noluisse HEINECCIUM a GROTII sententia recedere.

§. XX.

Sed contrahimus vela, ne nimis prolixi simus, atque progredimur ad eos, quibus GROTII sententia non placet, quorum vero duos tantum reperimus, eosque ex commentatorum ipsius numero. Alter est IOHANNES a FELDE qui in toto suo libello quasi hanc sibi sumpsit provinciam, ut GROTIUM, quaqua posset, carperet; alter vero est IOHANNES BARBEYRACIVS, optime de re literaria et GROTIUS meritis. Diversam utrique inierunt viam, eorum
autem

autem neuter hanc quaestionem recte expedivisse videtur,

§. XXI.

Quod ad FELDENVM quidem adinet, non omnia eiusdem ponderis et momenti sunt; quae affert in medium, neque tam de argumento hoc melius explicando sollicitus fuisse, quam id egisse videtur, ut GROTIUM impugnaret, suoque ipsum laesendi studio obtemperaret. Ita vero is in suis *Annotatis in HVG, GROTI. Lib. de I. B. ac P. L. II. C. VIII. §. 23. pag. 171.* Negat Auctor b. f. possessori iure naturae competere, ut fructus perceptos omnes suos faciat. Sed contrarium ex natura bonae fidei possessoris ita probari posse videtur: Qui omnia iura domini habet, donec contrarium probetur, illi competunt fructus ex re percepti. Possessor b. f. omnia iura domini habet, (quia fecit omnia, quae facere docet eum, qui dominium sibi acquirit, licet propter impedimentum veri domini ipsum dominium non sit consecutus.) Ergo. Addit deinde ad *Cap. X. §. 2. pag. 190.* Haec nibil faciunt ad probandum, bonae fidei possessorem teneri ad ea restituenda, quae ex re alterius lucratus est: neque enim, si rem recte perpendimus, quamdiu in bona fide fuit, ex re alterius quicquam lucratus est, utpote quam ignoravit alienam, nec scire fortasse potuit. Quod ex Tullio affert Auctor, aequè pro



b. f. possessore ac domino valet. Iniustum enim est, dominum locupletari velle ex incommodo ipsius, qui cum haecenus actu secundo dominus fuit, omnia iura domini habuit, et curam ob opinionem domini adhibuit. Praeterea alterius gratia temere operari servile est. Hinc enim omnes querelae oriuntur, iniusti signum. Bonae fidei possessorem non acquirere fructus, est alterius gratia operari. Quod ex se manifestum est. Ergo b. f. possessorem non acquirere fructus, servile est, et querelas parit.

§. XXII.

Quodsi ad argumenta attendimus, quibus haec GROTII censura nititur, facile deprehendimus, aliqua non praeter rationem esse monita, sed uti nec ea sufficienter fuerunt evoluta, ita haud pauca etiam quae praeterea fuerunt, addita, admodum sunt frivola ac ieiuna. Quis enim non rideat bellam istam in priori argumento minoris propositionis probationem, quae in parenthesi exhibetur? Neque minus frigida sunt, ubi negat, quemquam quid lucrari ex re alterius, si ignoret eam esse alterius, ac si possessoris ignorantia domini ius perimeret. Magis ad rhombum sunt, quae ad TVLLII testimonium reponit, quaeque de cura ob opinionem domini a b. f. possessore adhibita inculcat, qua in re D. IVSTINIANVM sequitur. At
vero



vero ne sic quidem nodum fatis solvi,
vel nobis non monentibus facile per-
spicitur.

§. XXIII.

Maiori cura, magis tamen ob dicentis
auctoritatem quam dictorum gravitatem,
ponderari examinarique merentur, quae
JOH. BARBEYRACIUS in *Notis suis ad PV-
FENDORFFII Jus Naturae et Gent.* hoc de
argumento attulit in medium, cui quippe
fatis non erat, negare quod circa fructus
consumptos asserit GROTIUS, cum potius
nec exstantes deberi contendat, nec ipsam
rem, si oneroso titulo acquisita fuerit,
sine restitutione pretii a b. f. possessore
reddendam domino esse censeat. Sed vi-
deamus, quomodo hanc suam sententiam
probatum eat. Is vero *l. c. Lib. IV. Cap.
XIII. nota (1.)* ita differit: *La propriété pu-
tative produit le meme effect, que la propriété
la plus réelle et la plus incontestable, tant que
le véritable maître ne paroît pas. C'est à
quoi ni GROTIUS, ni notre Auteur, ni aucun
autre, que je sache, n'a pris garde. Aussi
voit on, qu'il sont fort embarrassés à décider plu-
sieurs cas, qui se présentent sur cette matie-
re, et que leurs décisions ne s'accordent pas
toujours les unes avec les autres: preuve evi-
dente, que le principe, sur lequel ils raisonnent
n'est pas bien clair. Je dis donc, qu'un de*

Y 5

pris



principaux usages des Biens, que chacun a, étant d'entrer dans le Commerce de la vie, et cet usage demandant, que le possesseur de bonne foi soit réputé à tous égards legitime propriétaire; un tel possesseur n'est obligé à rendre, que ce, qui est en nature, c'est à dire, ce dont il ne s'est point encore defait, ou qui n'a pas péri de quelque maniere: car alors il ne tient plus rien, et ainsi il ne peut rien vendre, comme nostre Auteur le reconnoît lui-même à l'égard de ce, que l'on a donné ou revendu sur le même pie, qu'on l'avoit acquis, et de ce, qui vient à périr, ou à se perdre. De plus, tout ce, que le possesseur de bonne foi a fait et exécuté comme tel, au sujet du bien d'autrui, qu'il a lieu de croire sien, est aussi valide par rapport à lui, que s'il avoit disposé d'une chose, à quoi personne autre ne peut être rien à prétendre: et le profit, qui peut lui être revenu de ses biens, pendant qu'il l'a possédé de bonne foi, ou lorsqu'il s'en est defait, lui appartient par conséquent. Car comme il étoit et qu'il devoit être censé véritable propriétaire, les droits et les emolumens de la propriété lui competent absolument, jusqu'à ce qu'il n'ait plus lieu de s'attribuer cette qualité.

Et

Et alors, si l'ancien maître recouvre son bien, il recommence, pour ainsi dire, sur nouveaux frais, à exercer ses fonctions: la jouissance paisible du possesseur de bonne foi est comme une espèce d'interregne, qui interrompant le pouvoir du véritable propriétaire, assure au propriétaire putatif les effets de son administration, qu'il a eu en mains avec une pleine autorité. Cela posé, voici jusqu'où s'étend, à mon avis, l'obligation naturelle, de rendre le bien d'autrui, dont on a été en possession de bonne foi et à juste titre. Si on en a disposé, par un acte valide et irrévocable, en faveur d'un tiers, qui l'a reçu aussi de bonne foi, on n'est tenu à autre chose, qu'à aider, si l'on peut, l'ancien maître, à tirer raison de celui, qui lui a pris ou retenu son bien malicieusement, et à déclarer au nouveau possesseur la découverte des droits du véritable propriétaire, à fin qu'il fasse à son égard, ce qu'il doit. Que si la chose est encore entre les mains du possesseur de bonne foi, ou il en a acquis la possession sans qu'il lui en coûtât rien, ou il lui en a coûté quelque chose pour l'avoir. Dans le premier cas, comme quand on a reçu la chose en pur don, ou qu'on l'a trouvée, on doit la rendre purement et
fin-



simplement, sans rien demander, à moins
 qu'on n'ait fait à l'occasion de cette chose
 quelques depenses, dont on ne soit dedoma-
 gé d'ailleurs par le profit, qu'elle nous a
 apporté. Dans l'autre cas, comme si on
 l'a achetée ou reçue en gage, il est iuste que
 le veritable maitre, qui veut recquerer son
 bien, rembourse au possesseur de bonne foi
 ce qu'il a donné; faute de quoi celui-ci
 peut retenir la chose, et si l'autre ne la
 retire pas avant le terme de la prescri-
 ption, elle change alors tout a fait de mai-
 tre, en sorte, que le premier n'a plus rien
 à y pretendre. Par ce principes, il est facile
 de decider nettement toutes les questions,
 qui ont du rapport à cette matiere, comme
 on le verra par les notes sur les paragra-
 phes suivans, où ie rectifierai les pensées de
 l'Auteur: Quoiqu'il ne s'accorde pas tou-
 jours avec GROTIUS, il raisonne en gene-
 ral sur les idees de ce grand homme, dont
 l'autorité semble l'avoir entraîné ici.

§. XXIV.

Satis prolixa est haec BARBEYRACII
 nota, neque tamen multa continet mo-
 menta tanti viri acumine digna, licet ma-
 gna cum fiducia sibi ipsi persuadeat, se
 non



non tantum ac rem tetigisse, sed et toti litterario orbi in huius argumenti ab omnibus sinistre tractati enodatione facem praetulisse. Aliqua etiam occurrunt, quae miramur excidere ipsi potuisse, veluti cum ad b. f. possessionem, de qua quaestio est, refert, id, quod titulo inventionis possidetur, uti et id, quod pignoris nomine habemus, in quam profecto non cadit, illa, quam vocat, proprietas putativa, cui tamen suam opinionem tanquam fulcro certissimo superstruxit. Neque minus absona sunt, quae de praescriptionis cursu etiam tum continuando, imo et absolvendo, dicit, ubi dominus rem suam repetierit, et vindicare voluerit, si scilicet id, quod suum est, pretio redimere, atque sic denuo suum facere detrectet. Parum quoque vel ipsis BARBEYRACII principiis, qui supra modum liberalis erga b. f. possessores eosdem ab officiis maxime perfectis absolvit, vel ipsi etiam veritati conveniens est, quod de obligatione naturali iis incumbente, qui re alienata b. f. possessores esse desierunt, paulo ante haec haec tenus notata statuit, qua videlicet illos teneri asserit ad auxilium ferendum rei domino, adversus eum, a quo dolo malo re sua privatus fuit. Humanitatis haec esse quilibet fatebitur, perfecta autem obligatione naturali deberi, nemo facile dixerit. Verum cum huius generis anim-



animadversiones in haec allegata caput rei haud contingant, opus haud est, ut iis diutius inhaereamus. Expendendum potius est argumentorum pondus, quibus in stabilienda sua sententia usus est.

§. XXV.

Agedum dispiciamus, quae sit eorum vis et efficacia. Sed difficile est nervum probandi ostendere, ubi nullus est. Dabimus recte se habere, quae ab initio dicit, eandem esse vim dominii, quod quis ex rationibus legitimis habere se sibi persuadet, ac veri dominii, quoniam ipse limitationem addit, quousque verus dominus non compareat. Dabimus dissensum GROTHII et PUFENDORFFII, idem tamen principium admittentium documento esse, istud non satis esse evidens. Iam quodnam habet porro causae suae praesidium? Observat, eum maxime ad finem data esse bona, quae quis habet, ut ingrediantur in commercium. Quid inde? Observat porro illum finem exigere, ut bonae fidei possessor omni respectu habeatur pro domino legitimo. Licet non videamus, quomodo haec cohaereant, et oppido falsa etiam sunt, nisi plane idem et quidem sub eadem limitatione dicant, quod sub initium dictum fuit: tamen iterum quaerimus, quid inde sequatur? Sequi inde dicit, ut b. f. pos.



possessor non sit obligatus ad restituendum aliquid praeter id, quod extat. Largimur etiam hoc, sed nonne id e diametro contradicit iis, quae postmodum adstruit, dum docet, quae oneroso titulo parta sunt, nisi restituto pretio, reddi non debere? Ast forsitan aliud intersperfit argumentum, quod haecenus dicta restringat, fontemque recludat, ex quo posterior haec assertio derivetur? Sed fateor ingenii mei aciem adeo esse obtusam, ut eius nec volam nec vestigium deprehendere mihi licuerit. Addit quidem per modum novi ratiocinii, b. f. possessorem, uti veri domini loco haberi debeat, ita et iura et fructus rei sibi acquirere, donec desinat esse hoc caractere vestitus: quae deinde ex comparatione cum interregno instituta, et ea quidem non uno nomine mendosa aut claudicante, illustrare satagit. Sed quis est, qui non videat, nihil novi sic dici, eademque semper chorda oberrari, atque ex his praemissis nihil minus, quam istam deduci posse consequentiam, quae elicitur? His enim statim subiungit, statuere se itaque, nec rem nec fructus rei possessae, si pretio acquisita fuerit, gratis reddi debere. Non admodum praeceptorum logicorum observantem hoc loco quis dixerit BARBEYRACIUM, quum, si unquam alibi, certe hic plus sit in conclusione, quam



quam fuit in praemissis; ut taceamus, posteriora repugnare prioribus, quippe quibus generaliter et absque limitatione asseruerat, obligari b. f. possessorem ad restituenda ea, quae extant, cum in fine sermonis iam haec ad ea restringat, quae gratuito contractu acquisita fuere, quae vero oneroso titulo parata sunt, nisi restituto pretio reddenda esse neget. Sed nimis forte iam prolixi fuimus in discutienda doctissimi huius viri opinione, quin imo in universo isto examine, quod circa diversas de hoc argumento eruditorum sententias instituimus. Quapropter et quid nobis hac de re videatur, edifferendum quoque est.

§. XXVI.

Bonae fidei possessorem dicimus eum, qui rem alterius possidet, sed ita, ut, cum illam iusto titulo sibi acquisiverit ab eo, quem pro domino habuit, sibi persuadeat, suam esse rem, seque verum esse dominum, donec id aliter se habere doceatur.

§. XXVII.

Consequitur ex his non esse b. f. possessorem, qui sciens rem alterius, vel quam suam iusto titulo haud esse novit, possi-



possideat. Huius vero generis possessio duplex est. Aut enim animum habet eiusmodi possessor, rem possessam vero domino, quam primum id fieri poterit, restituendi; aut eam potius, licet hoc sciat, retinere sibi que habere cupit. Si prius obtinet, vel latiori sensu itidem b. f. possessor dici potest, vel possessor simpliciter; si vero posterius, malae fidei possessor appellabitur, qui iterum duplicis generis est, et vel ab initio possessionis suae nullo legitimo titulo partae, hunc animum habuit, vel ex bonae fidei possessore, ubi rem esse alterius intellexit, capto consilio de ea nihilominus retinenda, malae fidei possessor evasit.

§. XXVIII.

Dari eiusmodi possessionem, quae nec malae fidei sit, nec, vocabulo strictius sumto, bonae fidei possessio dici queat, facile potest demonstrari, licet ad hoc discrimen nemo fere sit, qui respererit. Ad hanc vero possessionis classem optimo iure referri possunt ea, quae titulo inventionis vel ex aliqua occupationis specie possidentur, ubi incertum est, an dominus prior rem dereliquisse censendus sit, vel certe haud comparet.

Z

§. XXIX.



§. XXIX.

Videri quidem posset, non dari medi-
um inter bonae ac malae fidei possesso-
rem, et prout quoque horum terminorum
acceptationes sumuntur, admitti id etiam
aliquo modo poterit. Sed neutiquam ta-
men inanem esse hanc distinctionem facile
potest ostendi. Quando enim WOLFFIUS
in Iure Naturae Part. II. Cap II. §. 153.
Possessorem bonae fidei dicit eum, qui rem,
quam possidet, putat esse suam; malae fidei
possessorem autem eum vocat, qui rem, quam
possidet, novit esse alienam; quis est, qui non
sentiatur, dari casum, ubi quis dubitet,
utrum rem pro sua habere debeat, nec
ne? Dum enim vel nescitur, quis sit
dominus, vel dubitatur, an non animo
derelinquendi a possessione recesserit, fie-
ri omnino potest, ut quis haud obstanti-
tibus legibus naturalibus eiusmodi posses-
sionem adeat, dummodo animum habeat,
rem legitimo suo domino, si compartuerit,
eamque vindicare voluerit, restituendi.
Nec bona heie est, nec mala fides, dum
eius generis possessor nec suam rem esse
sibi cum aliqua fiducia persuadeat, nec
alienam esse noverit. Multo autem mi-
nus eo sensu mala in eiusmodi possessione
adest fides, ac si quis alterum iniuste re
sua exuere et privare velit. Quicquid
vero huius sit, sive haec possessionis spe-
cies



cias ab utraque illa distinguatur, sive ad **b. f.** possessionem referatur, malae enim fidei possessio profecto haud dicetur, id tamen certum erit; possessionem istam, quae iusto titulo nititur, diversam esse ab hac, quae eadem praerogativa haud aequè gaudet, neque tamen uti malae fidei possessio legibus est contraria.

§. XXX.

Quodsi iam stabilitis hisce notionibus quaeritur, ad quid circa rei vel fructuum restitutionem obligetur is, qui rem alienam possidet, clarum est, non eandem posse esse conditionem eius, qui bona fide possidet, nec eodem quoque haberi debere loco, qui ex iusto validoque titulo, quam qui ex invalido possidet. Equidem quod ad rem fructusque extantes adtinet, nullum est dubium, uti nec circa hoc dissensus est inter viros doctos, si PUFENDORFFII priorē sententiam et BARBEYRACII hypothesein exceperimus, vero domino non rem tantum sed et fructus gratis debere restitui, e) deductis tantum impensis in rem fru-

Z 2

fru-

- e) Nolumus hec disquirere, an uti naturales ita etiam industriales reddendi sint fructus, quoniam nec primaria nobis quaestio est de extantibus fructibus, nec hac

in



fructusque factis. Si enim dominii ius non extinctum est, quod dici nequit, ubi praeter possessionem nihil priori domino opponi potest, aut nihil significabit hoc ius, quod absonum esset statuere, aut facultatem tribuet, rem vindicandi, uti et fructus, cum accessorium sequatur principale, et fructus rei substantiam. Rei vero suae non datur emotio. Quinque naturalis sit obligatio, ut neminem laedamus, laesio vero in violatione iuris, quod alteri competit, ponatur, oppido necesse est, ut, qui rem alterius quomodocunque possidet, ex ea ipsa ratione, quia est alterius, ad eam restituendam teneatur. Hoc enim negare, nihil diceret aliud, quam alterum laedi posse.

§. XXXI.

in re a GROTIO dissentiamus, qui posterioris generis fructus restituendos esse negat, quippe qui, etiamsi sine re non procederent, rei tamen non debeantur. Vti vero haec de bonae fidei possessore facile admittentur, ita non idem de malae fidei possessore pronuntiandum esse videtur, cum is videlicet non tantum ex re, sed et ex facto seu delicto suo teneatur. Ex quo ipso patet, etiam circa exstantium restitutionem dari aliquam inter b. et m. f. possessores differentiam. Sed hoc obiter tantum notare volumus.



§. XXXI.

Quamquam vero ad idem obligantur cuiuscunque generis possessores circa res vel fructus exstantes, atque hoc nomine omnium eadem sit conditio: tamen si vel res ex earum videlicet genere, quae intereunt aut usu consumuntur, vel fructus percepti, non amplius extiterint, diversa omnino est ratio. Ad duplicem vero heic attendendum esse putamus circumstantiam. Aut enim periere, aut in usus possessorum cessere. Porro vel periere casu, vel negligentia possessoris. Consentunt viri docti, si res fructusve perierint, vel hos b. f. possessor percipere neglexerit, eum secus ac m. f. possessorem, ad nihil teneri. Idem vero et de possessore simpliciter tali, qui non uti b. f. possessor iustum validumque possessionis suae titulum allegare potest, dicendum quoque esse, facili ratione adtruitur. Dum enim hic dubitat, utrum prior dominus iure suo domini abdicare se voluerit, nec ne, adeoque incertus est, an id, quod ex rei custodia atque cura fructuumque perceptione acquirere posset, suum sit facturus, accidere omnino potest, ut negligentius agat. Nulla autem ipsi vel naturaliter vel ex facto suo imposita est obligatio, ut rem alterius curet, nisi quae ex humanitatis lege fluit, quaeque nullam parit obligatio-



nem perfectam, nec domino ius dat, hoc nomine possessorem conveniendi,

§. XXXII.

Quae cum ita se habeant, planum est, tantum de consumtis et in usum conversis cum re tum fructibus quaeri posse, an a b. f. possessore aequè ac a possessore simpliciter tali restitui debeant. Dubitari autem haud potest, quodsi etiam restitutio sit facienda, eam aliter fieri non debere, quam pro ratione emolumentum ex usu rei alienae deductis sumptibus percepti, cum nec ipsi exstantes fructus nisi salvis impensis debeantur, quod ipsum **PROTIVS** praecclare agnovit, dum restituendum dicit, quantum quis locupletior est factus, **nam** vero possessorem, qui simpliciter talis est, nulloque iusto titulo subnixus, ad restituendam rem fructusque consumptos pro ratione lucri inde percepti obligatum censerì posse, vel ex eo patere potest, quia nullo titulo munitur, ex quo, quod consumit, suum esse cum aliqua fiducia sibi persuadeat, quin potius, dum id consumit, consumere se alienum, quod repeti queat, atque ad quod nullum sibi ius sit, intelligit, seque sic tacite ad restitutionem obstringere videtur, quam et lex naturae ipsi iniungit, quae non vult, ut ex re alterius ipso invito lucrum capi-



piamus. Cum autem in possessore b. f. veri nominis tali contrarium horum omnium obtineat, quippe qui iusta ex causa rem, quam consumit, suam eredit, quique nihil minus cogitat, quam ut existimet, repeti posse a se, quod consumit, et dum suo iure utitur, nemini facit iniuriam, nulla prorsus ratione is ad restitutionem obligatus esse intelligitur. Nemo enim dixerit, nullum esse discrimen inter tam diversi generis possessores, et res ipsa loquitur, non frui eos pari iure. Quorum vero diversum est ius, eorum etiam actus diversos debent parere effectus morales; et aut nullam praerogativam pariet iustus titulus, quod absortum est statuere, aut hanc dabit, quam adferimus. Sic pulchra sese exserit gradatio, et pro triplici possidendi modo triplicis generis obligatio oritur. Ad rem fructusque exstantes restituendos obligantur omnes; ad rei fructuumque consumptorum restitutionem tenentur tantum possessor simpliciter talis et malae fidei possessor; tandem solus malae fidei possessor praestare debet cum id, quod ipsius culpa periit, tum et quod percipere neglexit. f.)

Z. 4

his

D) Quae de differentia b. f. possessorum atque inde oriundarum cuiusque obligationum diversarum diximus, ipsi etiam Iuris Civilis conditores haud intacta reliquerunt.

Idem



his ratio etiam desumi posset, ad explicandum illud discrimen, quod in restitutione fructuum consumptorum inter hereditatis petitionem et rei vindicationem a Iure Civili constituitur. Videas communiter allegari rationes civiles. Nonne haec naturalis est, quia is, contra quem locum invenit heredi-

Idem enim observavit *Pomponius L. 45 ff. de usur. in quam tam elegans extat Arnoldi Vinnii Commentatio, in selectarum Iuris Quaest. Libris duobus Lib. I. Cap. XXV. pag. 122*, ut ea nihil accommodatius ad hoc argumentum dici queat. Ita vero vir celeberrimus: "*Verba Pomponii haec sunt; fructus percipiendo uxor vel vir ex re donata suos facit: illos tamen, quos suis operis adquisiverit, veluti serendo: nam si pomum decerpserit, vel ex silva ceciderit, non fit eius; sicuti nec cuiuslibet bonae fidei possessoris: quia non ex facto eius is fructus nascitur. Ex hoc loco satis perspicue probari credunt plerique interpretes, fructus naturales, id est, spontaneos et qui ex facto et operis b. f. possessoris non nascuntur, ad b. f. possessorem non pertinere. Expendamus verba. Quid igitur ait Iurisconsultus? Non cuiuslibet bonae fidei possessoris fieri fructus, qui ex facto eius non nascuntur. Ne hoc quidem nos negamus, sed hoc dicimus, eum possessorem*



reditatis petitio, nunquam potest esse iusto titulo munitus, adeoque nec b. f. stricto sensu possessor. Coniecturam damus, in qua si erraverimus, facile veniam nos impetraturos speramus, qui lubentes nostram in Iure Civili ignorantiam fatemur.

Z 5

§. XXXIII.

„rem b. f. qui ex iusta causa et titulo
„legibus non improbato rem ab eo, quem
„dominum esse putabat, accepit, fructus
„omnes ex ea re perceptos suos facere.
„Hoc autem non negat Pomponius: quippe
„qui non dicit nullius b. f. possessoris
„tales fructus fieri, sed non cuiuslibet:
„quam enunciationem non esse generalem
„sed particularem, ostendit nota particula-
„ris attributionis, quae hic est negatio
„universalis. Igitur in hac enunciatione:
„non omnis aut non quilibet b. f. posses-
„sor fructus naturales suos facit, cum con-
„sequens non omni antecedenti attribua-
„tur, sed solummodo eius parti alicui, fa-
„tis apparet, Pomponium non eodem iu-
„re omnes b. f. possessores censere, et ta-
„cite duo genera eiusmodi possessorum fa-
„cere, unum eorum, qui fructus natura-
„les suos non faciunt, alterum, qui hos
„etiam suos faciunt. Atque ita est, non
„omnis b. f. possessor fructus omnes per-
„cipiendo suos facit, sed is solum, qui iu-
„sto titulo possidet, causamque iustam habet,
cur



§. XXXIII.

Possent haec sufficere ad adstruendam, quam defendendam suscepimus, sententiam, et tantum argumento isti a nobis allato inesse putamus robur, ut opus haud esse videatur aliis, quibus ulterius confirmetur asserti nostri veritas. Quoniam vero praesto sunt alia, eaque haud exigui momenti et ponderis, iuvabit tamen, ea paucis quoque attigisse,

§. XXXIV.

Quum dicitur b. f. possessori inesse obligatio ad reitituendum rem fructusque consumptos, quantum factus est locupletior, necessaria consequentia domino quoque tribuitur ius id exigendi, cum omni obligationi respondeat ius in altero. Sed Domina

„our existimet, rem ad se pertinere. Qui
 „autem iusto titulo destituitur, quamvis
 „in iure errans se dominum factum putet,
 „naturales fructus suos non facit, ne cui
 „ignorantia iuris in compendiis profit, con-
 „tra L. 4. L. 7. L. 8. ff. de iur. et inter-
 „dum nullos L. 13. pr. de Cond. indeb.
 „licet alioqui non malae sed bonae fidei
 „possessor existimari debeat, quicumque do-
 „lo caret, etsi in iure errat, nec sequitur
 „iniuste possidet, seu titulo inutili atque
 „invalido, ergo mala fide. „

mino ius eiusmodi nullum competere con-
 tendimus; quapropter et istam obligatio-
 nem, quae huic iuri respondeat, negandam
 esse statuimus. Etenim ius illud deberet
 esse aut reale aut personale: sed nec est
 reale, id enim supponit rem, qua nitatur,
 existentem, atque hinc circa res fructusque
 consumptos locum haud invenit; nec vero
 etiam personale est, quippe quod invol-
 vit alterius vel consensum vel factum illi-
 citum, quae omnia in b. f. possessore
 exulant. Non igitur ius est domino rei
 fructuumque consumptorum restitutionem
 exigendi, et propterea quoque eius rei
 nulla b. f. possessori obligatio esse imposi-
 ta intelligitur. Nemo vero dixerit, ser-
 monem hic tantum esse de obligatione
 imperfecta, neque tam quaeri, quid iure
 stricto, sed quid ex aequitate aut secun-
 dum humanitatis legem debeat. Si enim
 eo respiciatur, verum quidem est, dari
 casus, ubi restitutio consumptorum sit fa-
 cienda, sed dantur quoque, ubi ex eadem
 consideratione iniquum foret, exstantes
 fructus imo rem ipsam rigorose vindicare
 summo cum b. f. possessoris damno; id
 quod licet alio sine observavit FRANCISC.
 HUTCHESONIVS, qui a GROTII sententia
 non alienus, in hoc tamen dissentit, ut
 statuatur, si b. f. possessor rem oneroso ti-
 tulo partam restituere teneatur, neque ab
 eo, a quo acquisivit rem, indemnitas prae-
 ste-



stetur, tum quidem damnum aequis parti-
bus a domino et b. f. possessore esse fe-
rendum. Quod si ex humanitatis charita-
tisque lege tantum derivaret, neque ad
ius strictum referret, facile nos haberet
consentientes. g)

§. XXXV.

g) Is vero in libello, cui titulus: *A short
introduction to Moral Philosophy*, Lib. II.
Cap. 7. §. 2. pag 157. ita loquitur: "*When
the presumptive proprietor restores to the
true owner any goods, he bought or
obtained for valuable consideration; he
may justly insist, to have the price or
consideration restored to him by his au-
thor, or the person, from whom he ob-
tained them. Where this person is ban-
krupt, or can't be found, the cause of
the presumptive proprietor is as favou-
rable, as that of the true one. Nor does
the true proprietor hold by any title mo-
re sacred than by purchase, succession,
testament, or donation, wich are the or-
dinary foundations of the true propriety,
as well as of the presumptive. And sin-
ce a certain loss must fall upon one or
both parties, nor is there any reason
of publick interest pleading for one mo-
re than the other; the loss should be
equally dividet between them, unless so-
me reasons of humanity recommend a
different decision.*"



§. XXXV.

Praeterea quoque non est nullius momenti, quod D. IVSTINIANVS pro ratione attulit, et, quod §. XXII. monuimus, FELDENVS quoque urfit, deberi consumptos fructus b. f. possessori pro cultura et cura, utpote quae in fructibus etiam naturalibus locum habet, cum videlicet nemo obligetur, ut suam operam alteri gratis impendat. Operae enim cuiusque non minus ad *ro* suum ipsius pertinent, ac ea, quae in sumtus pro re vel fructibus rel faciendos erogavit. Quumque opera cuiuslibet non definitam habeat aestimationem, et pro personarum diversitate quam maxime sit diversa, haud facile dici potest, aliquem respectu habito ad suam operam ex re fructuque alterius consumptis factum esse locupletiolem. Eadem opera forte ad aliud obiectum applicata idem lucrum productura fuisset, quo iam carendum est.

§. XXXVI.

Peti etiam potest argumentum ab usucapione, quippe quam iuris quoque naturalis esse heic supponimus, et adversus GROTIUM disputantibus supponere licet, cum videlicet, is longaeva possessione dominia transmitti posse statuatur, quicquid
caete-



caeteroquin contra ufucapionem proprie dictam disputet. At vero si ex possessionis b. f. continuatione ipsum etiam domini ius nasci potest in rem ipsam, necesse oppido est, ut multo magis, quod ad fructus adtipet, eosque consumptos, b. f. possessio hunc effectum fortiatur. Licebit enim hic a maiori ad minus argumentari et concludere, eum, qui, cum rem suam longo tempore repetere neglexit, eam dereliquisse censetur, magis adhuc censendum esse, fructus rei suae dereliquisse. Caeterum facile damus, nec proxime praecedens argumentum aequae esse stringens ac reliqua, quemadmodum quoque haud aequae late patet, quod et de sequenti, magis tamen valido dici suo modo debet.

§. XXXVII.

Recte nimirum dici quoque posset, nihil domino decedere per fructus consumptos, cum, qui re ipsa careat, fructus hoc tempore editos ne suos quidem dicere posse videatur. Neque profecto nihil dicunt Icti, quando asserunt, fructus percipiendo demum acquiri. Finge dominum arboris abesse, et captivum detineri, nullique curam facultatum suarum mandasse; nonne fructus a nemine collecti putrescent? Putasne vero ipsum damno
affe-



affectedum iri, si quis eos interea temporis collegisset, atque in suos usus convertisset, nullo etiam alio titulo instructus, quam quod sciat, verum dominum re sua uti haud posse? Nonne vero id magis etiam valeturum esset, si is haberet, unde sibi persuaderet, se verum rei esse dominum? Manifesto autem ex his consequitur, posse quem ex re alterius, sine ipsius damno, fieri locupletiolem, atque id in b. f. possessione contingere quam maxime, clarissime apparet.

§. XXXVIII.

Atque hac ipsa quidem ratione sufficienter diluitur, quae adversus sententiam nostram vibrari potest obiectio, a lege naturali petita, quae neminem cum damno alterius locupletiolem fieri velle debere pronunciat. Si enim dominus, et quamdiu re sua uti non potest, quis dixerit ipsi ex consumptione fructuum ab ipso tamen haud consumendorum damnum dari? At vero quamdiu res ipsius penes b. f. possessorem est, necessario privatur facultate physica, re sua utendi, licet morali haud destituatur. Nullum ipsi proinde damnum infertur, licet b. f. possessor sua commoda hoc pacto augeat. At forte quis dicet, evictum sic quidem esse, fructuum consumptorum restitutionem a b. f. poss.



posseffore haud deberi, sed aliter pronun-
 cian- dum esse, si res ipsa consumatur;
 sic enim negari haud posse, damnum fieri
 vero domino. In promptu est responsio.
 Concedimus damno sic affici dominum,
 sed negamus id a b. f. posseffore, tan-
 quam causa morali, dari. Morali enim
 aestimio idem est, ac si res ista ab eo
 fuisset consumta, qui iniuria dominum sua
 re privavit. Et praeterea alium sensum
 haud habet regula: neminem debere fieri
 velle locupletio- rem cum damno alterius,
 quam quidem hunc, ut ne damnum istud
 iniuria detur. Nemo autem dicet, nullo
 iure agere, qui iusto titulo et ad trans-
 ferendum dominium habili instructus agit.
 At qui suo iure utitur, nemini facit ini-
 uriam. Recte etiam AVGVSTIN. LEYSE-
 RVS in *Medit. ad Pand. Spec. XCIX.* et
 CHRISTIAN THOMASIVS in *Not. ad Huber.*
 monuere, tantam esse computationis diffi-
 cultatem, in quantum locupletior dici
 possit posseffor, ut vel hoc solo Grotiana
 sententia evertatur.

§. XXXIX.

Diffolvendum paucis etiam est PVFEN-
 DORFFII dubium, cuius §. XV memini-
 mus, quodque in alterum extremum du-
 cit. Dicit autem nihil bona fide possef-
 forem de vitio rei percepisse, ergo nec
 con-



storis nomen, nec impressionis locum prae se ferens, cui titulus est: *Code de la nature, ou le véritable Esprit de ses Loix, de tout tems négligé, ou méconnu.* Non potuit non magnifica tituli pollicitatio iuris naturalis scrutatores avidos reddere, cognoscendi,

Quid dignum tanto ferat hic promissor biatu? Quod uti et nobis accidit, ita mirifica quadam animi cupiditate paginas istas perlegimus, nihil tamen inveniētes, quod expectationi responderet, vel operae pretium referret. Praeter enim errores gravissimos, quos continet hic libellus, cuius generis est, non dari malum morale Dei intuitu, nec divinum Numen hominum peccatis succensere, neque quicquam punire, a) tota novae, quam proponit Auctor anonymus, doctrinae compages

eo

a) Ita Anonymus auctor parte tertia, in qua naevos systematis in moralibus vulgo recepti exponere se velle dicit, haud uno in loco dictis fidem facit. Pag. 134. ed. 1755. *Quoique nous ne puissions absolument connoitre, comment la Divinité considere les accidens physiques ou moraux, que nous nommons le mal, il est certain, comme j'ai déjà dit, que ce qui nous semble un desordre n'en doit point être un pour une Intelligence infinie, qui a tout ordonné; il faudroit, sans cela, la taxer d'imprudence*

ou



eo nititur fundamento, ut statuat, sine rerum omnium communione homines in civili societate viventes felices esse haud posse, infinitamque illam malorum segetem,

A a 2 cui,

ou de mechanceté, ou en faire une fatalité, qui s'ignorerait elle même. Ceux qui prétendent, qu'il arrive des choses, qui peuvent choquer les idées ou la volonté divine, ne peuvent, quelques efforts qu'ils fassent, éluder cette objection, qui se présente d'elle même toute la première. Pag. 193. Le mal moral n'est dans l'homme, aux yeux de la providence, que ce que sont les imperfections dans les Etres physiques: sa sagesse ne détruit point la chose imparfaite, mais la perfectionne. Pag. 153. Quand je dis, qu'il n'y a nul mal moral en présence de la Providence; qu'elle ne s'irrite point du crime; qu'elle ne le punit pas, comme nous l'imaginons par comparaisons avec nos procédés; je dis aussi, que sa sagesse permet, que par des conséquences infaillibles de l'ordre établi dans le moral, c'est à dire, dans les actions des hommes, il arrive toujours, que ce, qui nuit à ces creatures, est réprimé par des maux pareils. Point de crimes sans punitions; mais aussi plus de crimes après les derniers chatimens. Facile tamen auctori suboluit, necesse esse, ut haec sententiarum paradoxa adstruens, nequitiae Patronus habeatur, quam notam

a se



cui obnoxium sit genus humanum; ex introductis dominiis unice progerminasse. b) Hinc gravissime invehit in eos,

qui

a se amoliri cupiens, ante verba vix allegata, ita se tueri studet: *Qu'on ne m'accuse dont point, d'autoriser le crime par des principes, qui font disparoitre tout mal moral, qui affranchissent l'homme de toute crainte, de tous remords. Rien ne seroit plus évidemment calomnieux, que cette accusation, puis qu'il n'y a pas un de mes raisonnemens, pas une de mes maximes, qui, loin de favoriser aucune action dénaturée, ne tende, au contraire, à anéantir tout sceleratisme, et à le rendre même inconcevable. En indiquant la cause première de tous forfaits, et les moyens de la détruire, je substitue à une impuissante crainte, à d'inutiles remords, les vrais moyens de rendre le crime impossible, d'en inspirer une horreur insurmontable, et enfin, de restituer la creature à sa bonté, à sa probité naturelle.*

Quo loco haec ipsius apologia sit habenda, iam non disquirimus, id tantum notantes, causam illam scelerum omnium esse, ex ipsius sententia, dominiorum introductionem, perque illa remedia, quibus scelera radicitus extirpari queant, intelligi bonorum communionem in civitate stabiliendam.

b) Uti totus hic libellus huic hypothefi inititur, ita superfluum ducimus, pluribus testimo-

stimo.



qui ordinandis primis civitatibus manum admoventes, primos quoque inter homines moralis doctrinae conceptus definierint fixerintque, eo quidem negotio adeo sinistro defuncti, ut ratas suas sententias stabilientes nil minus quam naturam ducem fuerint secuti, hominumque animos, qui ad sociales virtutes ab ipsis non tam fingendi, quam ab ingenito suo versus illas visu contrariis institutis haud revocandi

A a 3

fue-

stimonis ex illo excitatis asserti nostri veritatem confirmare. Sufficiet sequentia.

Pag. 29 et 30. *Le seul vice, que je connoisse dans l'univers, est l'avarice; tous les autres, quelque nom, qu'on leur^e donne, ne sont que de tons, des degres de celui-ci — Or cette peste universelle, l'interet particulier, cette fièvre lente, cette éthisie de toute société auroit elle pu prendre, ou elle n'eût jamais trouvé, non seulement d'aliment, mais le moindre ferment dangereux? Je crois, qu'on ne contestera pas l'évidence de cette proposition: que là, où il n'existeroit aucune propriété, il ne peut exister aucune de ses pernicieuses conséquences. Et pag. 144. Otez la propriété, je le repete sans cesse, vous anéantissez pour jamais mille accidens, qui conduisent l'homme à des extrémités désespérantes. Je dis, que délivré de ce tyran, il est impossible de toute impossibilité, que l'homme se porte à des forfaits, qu'il soit voleur, assassin, conquérant.*



fuerant, mirum in modum depravarint, atque in tristissimum innumerarum miseriarum barathrum praecipitaverint. c) Neque vero

c) Dicitur vix potest, quanto cum contemptu exhibilet hic Anonymus omnes, qui aliquam ad excolendas morales disciplinas contulerunt operam, et quam acerbis conviciis eorum labores proscindat. En ex pluribus aliquot tantum specimina. Pag. 13 — 15.

J'ai taché de decouvrir ce premier chaînon de l'erreur, et de rendre sensible ce premier point divergent, qui a toujours éloigné nos Moralistes et nos Législateurs de la vérité.

Ecoutez-les tous, ils vous poseront pour principe incontestable, et pour base de tous leurs systemes cette importante proposition:

l'homme nait vicieux et mechant. — En

suivant cette methode, j'ai decouvert, que de tout tems nos sages, pour chercher à

guérir une dépravation, qu'ils ont mal à propos crû un fatal apanagé de la condition

humaine, ont commencé par imaginer, que la cause de cette caducité étoit, ou elle n'exista

jamais, et ont été précisément prendre ce poison pour le remede du mal, dont ils le pretendoient cause. Et pag. 38. — 40.

Montrons, que ces pretendus sages, que notre imbecillité admire, en privant la moitié

des hommes des biens de la nature, ont abrogé ses sages dispositions, et ont ouvert

la porte à tous les crimes. Ces guides,

aussi

vero, quae in hoc libello traduntur, novas doctrinas, civitatum ordinandarum leges exhibentes, Platonicaeque reipublicae somnia referentes, a se primum proponi dicit auctor anonymus, d) quippe quae

A a 4

iam

aussi aveugles, que ceux, qu'ils pretendoient conduire, ont eteint tous les motifs d'affection, qui devoit necessairement faire lien des forces de l'humanite. — De mal adroits Machinistes ont rompu des liens, des ressorts, dont la dissolution alloit entrainer celle de toute humanite, et ils tachent d'arreter sa ruine à force des ligaments bizarrement entortillés, et des contrepoids, appliques au hazard. Que nait il de leurs travaux? De volumineux traités de Morale et de politique, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Beaucoup de ces ouvrages peuvent donc s'intituler, les uns: l'art de rendre les hommes méchans et pervers, sous les plus specieux pretextes, et à l'aide même de plus beaux préceptes de probité et de vertu. L'etiquette des autres sera: Moyens de policer les hommes par les reglemens et les loix les plus propres à les rendre feroces et barbares.

d) Quam laterè vellit auctor, nostrum non est disquirere, quis sit. Forfan idem est, cuius causam se tueri profiteret, poematis *La Basiliade* inscripti conditor, quem famigeratissimum aliisque etiam scriptis historiis atque politi-

iam in poemate Gallica lingua conscripto, et *La Basiliade* dicto, typis fuerint vulgatae, a se iam plenius exponendae, atque adversus castigationes nonnullorum censorum, qui de libris novis referre ad eruditum orbem solent, maxime vero Auctorum de *la Bibliothèque impartiale* mois de Novembre 1753. tom. 8. part. 3. pag. 401 — 415 et de *la nouvelle Bigarrure* Novembre 1753. tom. 9. pag. 145 — 150. vindicandae. Istius vero poematis videnti eum nulla unquam copia nobis fit facta, quousque illud eum huius libelli argumentis conspiret, definiri abs nobis haud potest.

§. II.

Quum autem novi huius Iuris naturalis restauratoris placita tanti nobis haud viderentur, ut ea ex instituto sub exam-

men liticis inclutum, MAVBERT esse haud vana coniectura nobis persuademus. Ipse etiam auctor noster anonymus de hoc poemate loquens dicit: *Chaque poëte s'est contenté de renfermer son sujet dans les limites d'un trait d'histoire ou de fable, qui intéressât les mœurs, la religion, ou la gloire d'une nation: Mr. M***** ne s'est preserit d'autres bornes, que celles des vrais avantages de l'humanité* etc. ubi sex isti asterisci facile reliquis sex literis integrum nomen referentibus possunt expleri.



men vocanda censeremus, tum quidem temporis iudicavimus, fatis esse, si praecipua capita, quae censuram aliquam merebantur, summatim notaremus, quod fecisse nos constat ex Thesis Inauguralibus eodem anno, quo prodiit primum hic libellus, publice defensis, ex quibus decima octava, nona, et vicesima huic auctori anonymo fuerunt oppositae. Neque vero id alio fine abs nobis factum est, quam ut incautiores moneremus, ne huius systematis novitate, quod eleganti stilo expressit, summaque cum fiducia et μετὰ πολλῆς φαντασίας, proposuit auctor, imponi sibi fucumque fieri paterentur, caetera persuasi, aliquot tantum dierum vitam acturum esse hoc schediasma, neque aetatem laturum. Accidit tamen praeter nostram expectationem, ut hoc anno nova eius editio prodiret in publicum, quod uti argumento forsitan esse potest, systema hoc plures nactum esse amatores, ac sperare licebat, ita provocare etiam debet viros, veritatis amantes, et de Iuris naturalis integritate conservanda sollicitos, ad accuratiorem huius systematis explorationem instituendam. Quamvis autem hanc provinciam nobis haud sumamus, quippe qui alienissimi sumus a tractandis controversiis: tamen, quum Iuris naturalis quoddam argumentum peculiari commentatione exponendum nobis esset, *Naturae hic Co-*
A a 5 *dex*



dex, denuo comparens, movit nos, ut de dominiorum origine differeremus, maxime, cum videremus, etiam post virorum doctissimorum observationes locum adhuc esse alicui novarum annotationum spicilegio. Qua opera dum defungimur, simul quoque apparebit, quam lubrico imo falso fundamento nitatur novum istud systema ab auctore suo in contumeliam omnium ante ipsum Iuris naturalis doctorum summis condecoratum elogiis. e)

§. III.

Dominiorum originem investigaturis mentis acies ad ipsas generis humani origines est convertenda, isque hominum status animo concipiendus, in quo ipsos vixdum orbis huius habitabilis sedes ingressos, novumque quasi domicilium adentes, nulla adhucdum peculiari societate inter ipsos constituta deprehendere vel et fingere nobis licet. Neque vero et opus esset, ut ad historiarum fidem confugeremus, si qua etiam nobis superessent monumenta, dominiorum inter homines ortum.

e) Nolumus heic plura auctoris allegata cumulare, cum ex iis, quae n. c. observata fuere, satis constare queat, quantum fause hypothesei pretium statuatur quantoque opprobrio afficiat omnes, qui de vita hominum legibus regenda praeceperunt.



tum describentia, quae tamen nulla omnino dari, nemo non novit, cum nulli populo annales sint tam vetusti, ut ad prima illa nascentis mundi initia assurgant, si divina excipias oracula, quae qua ratione dominia inter homines perticularia fuerint introducta, nihil pronunciant. Quod si enim dominiorum originem ex legis naturalis dictamine expendimus, quaestio nobis non est de facto, sed de iure, neque disquiritur, quem morem sibi servandum statuerint, quave ratione illum stabiliverint homines, sed quousque is cum iuris naturalis placitis conspiret, et quo pacto eidem probetur.

§. IV.

Consideremus iam eam rerum humanarum periodum, in qua orbi huic pauciores fuere incolae, iique fructibus sponte natis facile et sine incommodo cuiusquam ex ipsorum numero alendi, et dispiciamus, quae ipsis iura ex naturalis legis dictamine hac rerum facie competiisse intelligantur. Cum duplex sit via investigandi, quid iuris sit naturalis, altera, qua ex instinctuum congenitorum indole asserti ratio repetitur, altera vero, qua quid ex naturae humanae attributorumque divinarum curatori consideratione rationis ope insti-



instituta stabilitur: f^o) datur etiam duplex ratio, qua quid de hisce iuribus vel affirmandum vel negandum sit, definiri potest.

§. V.

Quodsi ad instinctus respicimus, deprehendimus, istos homines haud minus ac nos, quin et ac omnia animalia, naturali impetu in studium sui conservandi, deferri, et fame vel siti admonitos aut etiam compulsos escam potumque quaesivisse, frigoris vero aut caloris sensu vexatos, aut ferarum bestiarum incursum extimescentes, de praesidiis adversus haec mala sibi prospexisse, quumque, quae ad haec desideria exfatiganda facere poterant, omnia ad manus atque ante oculos sibi posita perspicerent, intellexisse quoque, velle Deum, ut, quae in ipsorum gratiam paravisse videbatur, in suos quoque usus converterent. Hac enumeratione ipsa natura duce, vehementissime ipsos sollicitante, imo vel invitos abripiente, in ea omnia, quae hisce necessari-

f) Excussimus hoc argumentum in dissertatione peculiari, de fonte *Iuris naturalis*, *utrum in instinctibus, an in ratione quaerendo?* (p. 288) ubi simul quodnam cuique horum modorum investigandi, quid sit iuris naturalis, pretium sit statuendum, definitivimus.

cessitatibus explendis inservire poterant, ruebant, g)

§. VI.

Multo vero clarius haec omnia patent, si ad rationis decempedam exigantur, atque ex ipsis Dei hominisque notionibus res decidatur. Neque vero opus est, ut tam longe excurramus, atque a primis istis principiis omnia deducamus, quippe quod in tot systematibus a viris doctis rigo-

g) Ea plerumque instinctuum esse solet indoles, ut non semper tuto illis superstrui queat iudicium, quousque quid iuri naturali conveniat, nisi rationis etiam dictamen accedat, illudque confirmet, cum malis habitibus possint depravari, ita ut aliis nimis iusto indulgeant, iisque sic supra modum robur aliquod addant, simul vero alios, qui regendis reliquis atque moderandis a naturae auctore fuerant adiuncti, deprimant, et tantum non extinguant. Sic enim habetur deinde pro instinctu naturali, quod ex agendi habitu et consuetudine prava fuit enatum. Ubi vero motus aliquis internus ita sese exerit, ut in eodem rerum statu apud omnes homines locum esset habiturus, ibi certo quoque concludi potest, iure fieri, ad quod sic impellimur, quod ipsum in argumento praesenti ita sese habere, nemo ibit inficiat.



gorosa methodo confectis factum iam esse inter omnes notum est. Licebit itaque nobis hic ut alibi demonstratum supponere, ad iura homini connata pertinere et illud, ut sui conservationi studere, omnibusque iis, sine quibus hunc finem obtinere haud posset, recte et legitime uti queat, sicque ipsi fas iustumque sit, adversus eos, qui suo huic conservandi se studio sese opponunt, defendere se, eorumque vim propulsare.

§. VII.

Quum igitur ex duplici hoc cognoscendi fonte fluat, et instinctibus et ratione testibus gaudere hominem iure, ea, quae ipsius conservationi inserviunt in suos usus adhibendi, quae vero eidem adversantur, removendi: facile iam iura ulteriora, ex hisce nascentia, pro statu illo, quem posuimus §. IV. poterunt determinari. Gaudebit ni mirum homo iure de alimentis, vestimentis, domicilio, et quae eius generis sunt, sibi prospiciendi, quumque ea omnia in finita bonitas conditoris in ea ipsa, quam incolendam dederat, tellure benigna manu ipsi exhibeat, intelliget quoque ius sibi datum esse bona haec in sua commoda convertendi. Atque hac quidem ratione, si solus existeret, dubitare non posset, ius sibi datum esse in omnia, cum facile sentiat,



tiat, creaturas irracionales in communio-
nem iuris venire haud posse, sibi que po-
tius ordine postpositas esse. Cum primum
vero alios homines eiusdem naturae par-
ticipes videt, non potest non intelligere,
eosdem quoque eodem, quo ipse, iure
gaudere debere, suumque ius, quod soli
in omnia competere diximus, aliorum si-
mul existentium pari iure limitari debere
atque restringi.

§. VIII.

Quodsi vero iam quaeritur, quomodo
et quousque istud ius singulis competens
ab aliorum aequali iure limitetur atque
restringatur: ante omnia quidem patet re-
bus ipsis naturae solius ope productis nul-
lum inditum esse characterem, nullum im-
pressum esse signum, ex quo cognosci
queat, has vel illas res usibus potius hu-
ius, quam alius cuiusquam a natura esse
destinatas. Neque etiam in ipso homine,
deprehendere licet criterium aliquod, ex
quo ipsi potius quoddam ius his vel illis
rebus prae aliis hominibus utendi tribui
queat, cum omnes natura sint aequales,
sisdemque prorsus iuribus muniti. Cum
itaque omnibus aequale sit ius, neque
alteri prae altero quaecunque res natura-
liter appareat addicta, consequens est, ut,
nisi illud ius prorsus omni effectum destitu-
tum esse dicendum sit, statui debeat, aut
nul-

nullum ius suum exercere posse, nisi omnibus consentientibus, aut cuilibet licere iure suo uti pro arbitrio, vel quod idem est, res omnes aut esse in dominio omnium universali indivisim, quod communio et ea quidem positiva universalis dici solet, aut hactenus habendas esse pro rebus nullius, quae nondum sint in dominio, esse autem possint, qui rerum status communionis privativae nomine *b)* nonnullis venire solet.

§. IX.

Poni autem nulla ratione posse, Deum humano generi res in ipsius usus creatas per modum alicuius domini universalis sive communionis positivae concessisse, facili

- b)* Sunt, qui hanc communionis speciem negativam appellant, uti *PVFENDORFFIVS de Iure Nat. et Gent. Lib IV. Cap. IV. §. VI.* et *HEINECCIUS in Elementis Iuris Naturae et Gentium L. I. §. CCXXXIII.* Quum vero ab aliis ea, quae omnibus hominibus communia eius sunt naturae, ut in dominium venire nunquam possint, cuius generis sunt, aer, calor solis, &c. negative communia rectius dicantur, ad evitandam terminorum confusionem hanc communionis speciem *ROESLERI* placita sequentes, privativam communionem appellare maluimus.

facili negotio evincitur. Primo enim loco ipse dominii universalis sive communionis positivae, omnes homines complectae, conceptus habet, quod ipsum destruat. Dominii enim omnis notio involvit respectum ad alios, atque ius infert, eos ab usu rei suae excludendi. Quando autem omnes homines eiusdem dominii aequali modo participes statuuntur, nemo datur, cuius respectu ista communio dominii universalis naturam exerere queat. Praeter homines enim non reperiuntur in terrarum orbe aliae creaturae rationales, quae dominiorum iuris capaces exclusae sint censendae. Deum vero suo se supremo dominii iure exuisse, terrae bonis humano generi concessis, atque sic adversus ipsum valere hoc excludendi ius, nemo nequidem somniaverit unquam. Dominia enim omnia hominum tantum respectu dici dominia, eosque ipsius intuitu ne utendi fruendi quidem iure gaudere, sed, quicquid habent, meri beneficii pro arbitrio iterum aufcendi nomine possidere, ex ipsa hominum natura et dependentia omnimoda quam clarissime intelligitur.

§. X.

Sed longe gravior istam opinionem premit difficultas. Quodsi enim dicas, ex accidenti esse, quod communioni positivae

B b

domi-



dominii conceptus nonnunquam adhaereat, ex ipsa communionis positivae idea sequitur tamen certe, cum ista bonorum universitas ad plures indivisim pertineat, usum eorum legitime dari nullum posse nisi ubi aut omnes reliqui, quibus par ius est, in singulos actus singulorum, qui rebus communibus uti frui volunt, consentiant, aut communi consensu normam aliquam universalem praescribant, qua usus singulorum definiatur, aut denique interveniente pacto per divisionem rei communis ipsam communionem tollant, sicque dominia particularia introduceant. i) At vero, quod

1) Sentit has difficultates GRIEBNERVS, qui quemadmodum primaeva communitio, quam positivam fuisse statuit, sublata fuerit explicare annisus, nescit, quo se vertat, cum nec PUFENDORFFII sententia ipsi probeatur, nec BYNCKERSHOECKII hypothesis, qui de dominio maris C. I. §. III. differens, ex lege civili dominiorum institutionem repetit. Tandem in *Principiis Iurisprudentiae naturalis Lib. I. Cap. VI, §. VI. p. 84.* ita subducit calculos: *Superest ergo ut ex pactis proprietatis origines derivemus, non universalibus, a toto genere humano initis, sed particularibus, quibus cum proximis quibusvis de duratura etiam post amissam possessionem proprietate possidentes convenerunt.* Anne vero hi proximi



priorem attinet modum, clarum omnino est, nullo eum pacto admitti posse, cum sic finis, ob quem ius istud humano generi datum intelligitur, plane evertatur. Qua enim ratione conservari posset homo, si urgente fame adire ante deberet omnes, facultatem his vel istis frugibus vescendi rogaturus, quam sibi famem sedare liceret? Nonne si pauciores etiam statuerentur homines, imo si tres duove tantum ponerentur, pereundum saepe foret homini, antequam socios communionis aduendi copia ipsi fieret? Aut itaque dicendum esset, homines naturaliter obligari, ut semper una versentur, aut statuendum, humano generi Tantali sortem obtigisse, cui in ipsa ciborum affluentia esuriendum fuerat, quorum utrumque est absurdum, ut nihil dicamus, aucto humano genere hunc modum prorsus reddi impossibilem. Sed ne reliqui duo modi magis probari possunt. Quodsi enim norma aliqua statim ab initio ab hominibus stabilienda fuisse dicitur, cur non potius ab ipso Deo stabilita dicatur, eum de alia quaestio esse haud possit, quam de occupatione, de qua mox ostensuri sumus, eam ipsa rei natura niti. Multo minus vero tertius ad-

B b 2

mitti

mi remotiorum iuri derogare quicquam potuerant? Sed addit: *nam a remotioribus minus erat periculi.* Adeoque nec verum firmumque ius sic constitui potuit.



mitti potest modus, cum sententia de divisione totius terrarum orbis inter primos homines pauciores facta, monstri quid aliat, et quam plurima absurda contineat. Ea enim posita, poni quoque debet, totum terrarum orbem iuxta cum omnibus suis partibus cognitum fuisse primis hominibus, iisque statim in diversissimas partes secedendum fuisse, nihilque magis curandum, quam ut genealogicae rationes quam exactissime asservarentur, quae omnia, ut praetereamus alia, ne per somnium quidem sibi quisquam finxerit. Si vero de divisione tantum particulari sermo sit, tertius hic modus in secundum, de quo diximus, resolvetur.

§. XI.

Quum igitur dici nequeat, rerum hanc universitatem in hoc orbe generi humano datam fuisse a supremo rerum omnium domino sub ratione communionis positivae, superest, ut per modum communionis privativae, quemadmodum §. VIII. observavimus, concessa fuisse dicatur. Ea vero communio dicitur privativa, qua res ita ad plures pertinent, ut in se quidem sint nullius, singulis vero ius sit, eas suas faciendi. Neque aliud dicit ROESLERVS, qui Themat L. I. Cap. XII. §. VII. communionem privativam definit per *qualitatem*


in oib.

*moralem rerum, quae non sunt, esse tamen posse
 sunt in dominio.* Atque huius quidem ge-
 neris communitio adeo est naturae conve-
 niens, ut eius exempla quotidiana pro-
 fterent, quando ex eadem patina cibum ca-
 piunt liberi a parentibus sibi subministra-
 tum, vel ubicunque in commune prandemus;
 ipsumque ius omnibus in omnia com-
 petens per singulorum actus iure suo
 utentium, necessario et per se limitatur,
 cum videlicet quivis, qui iure suo utitur,
 uti nemini facit iniuriam, ita nec a quo-
 quam in exercitio iuris sui sine iniuria tur-
 bari vel impediri possit. Actus itaque,
 quo quis demonstrabat, se velle rem a se
 apprehensam, eamque adhuc in commu-
 nione positam, sive nullius, in suos con-
 vertere usus, non poterat non statim ab
 initio parere dominium, sive eiusmodi ius
 producere, quod facultatem dabat, alios
 ab usu eius rei excludendi. k) Qui actus

B b 3

cum

k) Eandem fere haec explicandi nobiscum ra-
 tionem tenuit sanctus vir HUGO GROTIUS,
 qui si sibi semper constitisset, neque pla-
 niozem viam, quam sequi coeperat, iterum
 deseruisset, fieri vix potuisset, ut haec do-
 ctrina tantis postmodum inter eruditos
 controversiis obnoxia futura fuisset. Ita
 vero de *Iure Belli ac Pacis Lib. II. C. II.*
§. II. n. 1. ratioenatur; *Deus humano ge-
 neri generaliter contulit ius in res huius
 infe-*



cum occupatio appellari soleat, apparet, dominia primitus statim per occupationem fuisse constituta, nullo intercedente pacto, eorumque introductionem ab ipsa lege natura-

inferioris naturae statim a mundo condito, atque iterum mundo post diluivium reparato. — Hinc factum est, ut statim quisque hominum ad suas usus arripere posset, quod vellet, et quae consumi poterant, consumere. Ac talis usus universalis iuris erat tum vice proprietatis. Nam quod quisque sic arripuerat, id ei eripere alter nisi per iniuriam non poterat. Similitudine hoc intelligi potest ea, quae est apud Ciceronem de finibus III. Theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest, eius esse eum locum, quem quisque occuparit. Atque haec quidem tam egregie sunt dicta, ut nihil possit esse supra. Disquirat deinde pluribus, cur procedente tempore homines non in usu fructuum acquieverint, sed ipsas res sibi addiderint, hisque demique n. 4. subiungit: Hinc discimus, quae fuerit causa, ob quam a primaeua communionē rerum primo mobilium, deinde et immobilium, discessum est: nimirum quod cum non contenti homines vesci sponte natis, antra habitare, corpore aut nudo agere, aut corticibus arborum ferarumve pellibus vestito, vitae genus exquisitius deligissent, industria opus fuit, quam singulis rebus singulis adhiberent. Quo minus autem

tem



turali actibus hominum res nullus in suos usus trahentium vim facultatemque moralem largiente unice pendere.

B b 4

§. XII.

sem fructus in commune conferrentur, primum abstulit lacorum, in quae homines discesserunt, distantia, deinde iustitiae et amoris defectus, per quem fiebat, ut nec in consumptione fructuum, quae debebat, aequalitas servaretur. Neque verò et in his quicquam dicitur, quod censuram mereatur. Aliter autem omnino statuendum est, quando ita n. 5. pergit; Simul discimus, quomoda res in proprietatem iyerint: non animi actu solo; neque enim scire alii poterant, quid alii suum esse vellent, ut ea abstinerent; et idem velle plures poterant, Recte se habent omnia hucusque. Quum igitur animi actus solus haud fuit sufficiens ad constituendum et acquirendum dominium, quid accedere debuit praeterea? Nonne quilibet pronuntiabit, opus fuisse, ut hic animi actus declaretur signis externis, quae ratione facile omnes scire poterant, quid alii suum esse vellent, ut eo abstinerent? Sed iam per insignem saltum in alia omnia abit GROTIUS, et addit; sed pacta quaedam, aut expresso, ut per divisionem, aut tacito, ut per occupationem. Simulatque enim communio displicuit, nec instituta est divisio, censei debet inter omnes convenisse, ut, quod quisque occupasset, id proprium haberet.

Li.



§. XII.

Quando autem diximus, Occupationem esse actum, quo quis declarat, se rem nullius, a se apprehensam, sibi habere velle, est forte, qui

Licebit hic quaerere, an fructus rerum minus fuerint in hominum communione ac res ipsae, aut si eodem iure ad omnes pertinuerint, cur in illorum occupatione ex facto hominis ius natum sit, hae vero ut occupari queant, praeter hominis factum aliorum quoque consensus, sive expresse sive tacite declaratus requiratur? Testimonia vero, quae ad firmandam suam sententiam allegat, adeo non de pacto aliquo loquuntur, ut potius solo hominis facto occupationem absolvi testentur. Sic enim pergit: *Concessum, inquit Cicero, sibi ut quisque malit, quod ad vitae usum pertinet, quam alteri acquiri, non repugnante natura. Cui addendum illud Quintiliani: Sibi haec conditio est: ut quicquid in usum hominis cessit, proprium sit habentis, profecto quicquid iure possidetur, iniuria aufertur. Neque fere a GROTIJ sententia abit PVFENDORFFIVS, de Iure Naturae et Gentium Lib. IV. Cap. IV. §. 4. et seqq. dominiorum originem describens, licet §. 9. GROTIUM ex instituto refutandum sibi sumat. Nihil enim ipsi vitio dat, quam quod istam primaevam communionem positi-*



qui quaerat, cur apprehensionis quoque ideam huic notioni iungendam censuerimus, cum ea et abesse posse salva rei veritate videatur? Non diffitemur autem, dari casus, in quibus res aliqua valide et legitime occupata sit censenda, licet apprehensa haud fuerit, maxime si sermo sit de dominio, quod in ipsis substantiis constituitur, cum e contrario fructuum occupatio vix fieri possit aliter, quam per apprehensionem, qua de occupationis specie nobis haecenus sermo fuit. Habet et illud apprehensio, ut sit instar declarationis, dominiumque constituat, si vel maxime nulla alia ratione animi nostri sensa significaverimus. Locum itaque invenit inter illos quoque, quibus nullum est linguae commercium, vel hac sola ratione commendabilis. Accedit, quod inter duos, qui utrinque declarant, se rem aliquam sibi velle habere, is censendus sit eam occupasse, qui prior apprehenderit, cum ad dominii sive proprietatis constitutionem rei possessio omnino requiratur, licet postmodum salvo dominii iure abesse queat. Atque hae sine dubio fuerunt rationes, cur viri docti passim occupatio-

B b 5

nem

fitivam statuerit, quae tamen negativa dicenda sit, magis adhuc errans, dum eam cum GROTIUS nonnisi pacto tolli posse censet, quod negativae potius quam positivae communionis indoli adversatur.




nem per apprehensionem rei nullius cum animo sibi habendi definierint. Quamquam vero haec ita se habent, negare tamen haud possumus, apprehensionem non ita inesse omni occupationi, ut haec sine ea non detur. Quodsi enim quis arborem e. g. frugiferam suam sibi facere voluerit, eamque eo sine sepimento cinxerit, nemo non iudicabit, eam legitime esse occupatam, licet ab occupante nunquam fuerit physico actu apprehensa. Poterit itaque accuratius forsitan definiri occupatio, quod sit actus, quo quis vel mediante apprehensione, vel adhibitis aliis signis externis rei additis declarat, se rem nullius sibi velle habere.

§. XIII.

Clarum vero est ex hactenus dictis, duo ad occupationem requiri, primo quidem ut res sit in nostra potestate, deinde et, ut animus nobis sit, isque externis signis demonstratus, velle nos eam facere nostram. Atque sic apparet quoque, quomodo a dominio differat nuda possessio, quae primitus quidem eisdem cum dominio habuit effectus, quousque nimirum duravit, cum e contrario dominium ex occupatione veri nominis tali oriundum, etiam si res possideri desiisset, eisdem constanter effectus pareret, sin aliter haud animo derelinquendi a possessione recessum



sum esset. Et in illa quidem temporis periodo, qua de nobis sermo est, ubi homines pauciores terrae fructibus sponte prognatis nutrirî poterant, vix est ut dici queat, aliud quicquam ab hominibus fuisse occupatum, quam quod praesentibus ipsorum usibus inservire poterat. Sic arboris fructibus, quantum ad sedandam famem sufficiebat, consumptis, nemo de reliquis iure dominiî sibi ipsi acquirendis, multo autem minus de ipsa arbore occupanda cogitasse videtur. Habitationis autem temporariae locus, isque saepe tantum ad pernoctandum delectus, ne occupatus quidem fuisse stricto sensu dici potest; licet ista possessio idem ius alios excludendi tribueret, quod veri nominis dominiî competebat. Si vero quis huius generis possessionem malit dicere occupationem, qua videlicet quis sibi dominiî constituerit ad tempus tantum, nos haud habebit contradicentes, cum quis possit velle sibi habere, quod mox iterum abiicere animus est. Hac autem ratione illa possessionis et dominiî differentia iterum evanesceret, quae tamen modus certe loquendi inter homines receptus, imo integrarum gentium praxis videtur afferre, cum v. g. nostra etiam aetate Americanorum septentrionalium vel Tatarorum populi, qui mox has mox alias regiones insident, eas haud particularis dominiî



minii) iure sibi acquirerere, sed ad tempus tantum possidere dicantur.

§. XIV.

Durare autem haud diu potuit is hominum status, quo ipsos frugibus terrae sponte nascentibus usos esse, atque ab ipsarum substantiarum occupatione abstinuisse se diximus. Imo, si, quod verum est, fatendum sit, fictione tantum concipi potest eiusmodi status, qui revera nunquam extitit, cum fieri haud potuerit, quin primi statim homines, praeter fructus quotidie ab ipsis consumendos, ex substantiarum etiam genere aliqua sibi vindicarent, constanti dominio retinenda. Non enim tantum fame sitique vexabantur homines, quibus sedandis esculenta et potulenta conquirere necessum habebant, sed et calori, frigori, imbribus aliisque in-

COM-

- 1) Quando autem dicimus, gentes istas, vagam agentes vitam, sibi haud videri acquirere particularis dominii iure sedes, quas ad tempus inhabitare solent, id neutiquam intelligendum est ita, ac si negaremus, toti genti dominii ius in terras, quas incolit, competere. Non enim sermo nobis est de dominio universalis, sed particulari tantum, neque de iure, quod omnibus adversus externos, sed de eo, quod singulis adversus conterraneos quaesitum est.



commodis corpus humanum affigentibus obnoxii, non poterant non ab inatio statim de comparandis adversus haec mala remediis esse solliciti. Quumque in primaeva ista simplicitate vix aliud vestimenti genus adhiberi ab ipsis poterat, quam detractae animalibus pelles, hac quoque ratione in ipsas substantias ab initio statim dominia invecta fuisse liquet. Quin et dubitari haud potest, mature homines lacte vesci coepisse, cum nullum cibi genus hominum nutritioni magis conveniat, atque ab ipsa natura proxime hisce ipsorum usibus destinatum fuisse videatur, cuius consequens omnino esse debuit, ut homines pecudum greges interveniente occupatione sibi adsererent.

§. XV.

Uti vero ex iis, quae haftenus observavimus, clarissime intelligitur, ex ipsius legis naturalis dictamine a primis statim terrae incolis mediante occupatione dominia cum in fructus rerum, tum et in res ipsas earumque substantias fuisse introducta: m) ita facile quoque perspicitur, non

m) Eandem sententiam tuentur CANZIUS, in *Discipl. Mor.* §. 1889. ubi facultatem occupandi a lege naturali tributam fuisse asserit, et HEINECCIUS in *Elementis Iur. Nat.*

non potuisse non aucto genere humano dominiorum constitutionem multo etiam latius extendi. Quum enim crescente hominum multitudine fructus sponte nascentes aliendis omnibus haud poterant sufficere, opus omnino fuit, ut, quae haecenus in medio relictæ manserant, appeterentur quoque et in proprietatem vocarentur. Ad venationem enim piscatumque, reique pecuariae curam, quibus plurimi omnino nutriri poterant, ipsius etiam terræ cultura mature debuit accedere, ut eius pro-

Nat. et Gent. Lib. I. Cap. 9. §. CCXXXVI.

Cum primis vero hoc argumentum maxima cum perspicuitate tractavit NIC. HIERON.

GVNDLINGIVS in *Jure Nat. et Gent. Cap.*

XX. §. 4. 5. 9. 10. ut et Cap. III. §. 40.

qui dominiorum originem ex facto hominibus, concessione Dei nixo, quo res sua industria partas suas facit, derivat, a com-

munionis cum positivæ tum negativæ conceptibus ad evitandas *λογομαχίας*, uti dicit, abstinens. Neque aliter sentit CHRIS-

TIANVS WOLFFIVS in *Jure Naturæ metho-*

thodo scientifica pertractato Part. II. Cap.

II. §. 173. licet præcedente Capite primo prolixissime de primæva communione dis-

seruerit, in qua præter rationem hominibus usum rerum tantum competiisse con-

tendit, qui, nisi sibi met ipsi contradixisse censendus sit, rerum usu consuetandarum

dominium non poterat non involvere.



ventus eo redderetur uberior. Neque vero et haec dominia constituendi ratio diversa esse potuit ab ea, quam haecenus descripsimus. Aderant enim haec omnia omnibus a Deo O. M. in commune proposita, nulli tamen peculiari praerogativa addicta; omnibus et singulis idem erat ius, quo qui prior usus fuerat, et suis ulibus adscripta, non poterat non hoc suo facto facultatem consequi, qua reliquorum agendi facultas circumscriberetur. Occupatione igitur acquirebatur dominium non in rerum fructus tantum, resque ipsas mobiles, sed et in immobilia, quae dicuntur, terrae bona.

§. XVI.

Observare tamen licet in eo occupationis genere, quod modis superius recensitis fit, venatione nimirum, piscatu, aucupio, rei pecuariae cura, ipsiusque terrae cultura, discrimen haud mediocre, ab ea occupandi ratione, qua fructus sponte nati in praesentes usus trahebantur, idque multo fortiori argumento demonstrans, ipsa lege naturali iubente rem occupatam occupanti cessisse. Negari enim haud potest, fructuum a natura sponte editorum perceptionem exigua admodum occupantis opera constare, quod in istis occupandi modis longe aliter se habet, quippe



pe cum quibus haud vulgaris occupantium industria coniuncta esse deprehenditur. Iam vero operas hominis esse proprias, qui sui iuris est, id quidem nemo facile inficias ibit; nihil autem magis iniustum esset futurum, quam si nostro labore partis fraudare nos aliis liceret. *) Idem enim
ius

*) Praeter GVNDLINGIVM, cuius in praecedenti nota meminimus, ex hoc fonte dominiorum ortum derivat quoque acutissimus IOH. LOCKIVS, Anglus, in libello, qui ex anglica lingua in gallicam translatus, *du Gouvernement civil* inscribitur. Omne etiam ius proprietatis ex opera rei impensa deducendum esse statuit PAVLVS IAC. MARPERGER, Lipsiensis, in *dissertatione, de acquisitione domini originari in statu naturae. A. MDCCXLI. defensa*, qui tamen praeter rationem operam requirit eam, quae res non tantum in nostram potestatem redigitur, sed etiam usibus maioribus iam apta redditur: quod clarum esse potest ex iis, quae adversus TITIVM disputat, dum §. XXIV. not. h. dicit: *Titio dominium agri tenere videtur, qui signa ibi posuit, ex quibus caeteri homines colligere possunt, se eum in potestatem suam redigere voluisse. Mea e contrario sententia agrum ab eo tunc demum iure occupatum censet, postquam arando, conferendo, aliisve modis, illum fructui ferendo idoneum reddere coepit.*
Neque



ius naturae, quod sanxit, ut ne quem laedamus, eo ipso etiam sanxit, ut ne quem

Neque ab hac differt sententia CHRISTIAN. AVG. CRVSI in der *Anweisung vernünftig zu leben* §. 528. p. 674. ita pronunciantis: *die ursprüngliche Entstehung des Eigenthums, wie nemlich eine Sache, welche noch niemals in jemandes Eigenthume gewesen, in eines Menschen Eigenthum kommt, ist nicht die bloße Besitznehmung von derselben, sondern eine solche Besitznehmung, da man die Hervorbringung, Herbeytschaffung oder Ausarbeitung derselben entweder in eigener Person, oder durch andere, welche solches in unserm Namen gethan, Mühe und Fleiß aufgewendet hat.* Illud vero occupandi genus, quod vulgo admittitur, minus esse sufficiens ad producendum ius dominii, ita probare contendit, ut dicat, res istas abs nobis aut commoditatis tantum nostrae gratia quaeri, atque hoc casu ius ad eas nobis tantum esse negativum, ita ut, qui iisdem ad sui conservationem indigeat, iure sic positivo gaudens, easdem nobis iterum adimere possit; aut conservationis ergo quaeri, quo casu, ubi alter aequè iisdem indigeat, aequale utrique sit ius, ita ut ad rem dividendam obligemur. Facile autem patet, in priori casu obligationem internam cum externa confundi, posteriori vero supponi, quod falsum est.

C c



quem sua, in quam nullum nobis ius est quaesitum, privemus opera. Duplex itaque adest fundamentum, ex quo intelligitur, rem ea ratione a nobis occupatam nostram fieri, prius a iuris nostri usu repetendum, cui ut quis se opponat contra legem naturalem est, alterum a nostra opera, viriumque nostrarum applicatione pendens, ubi iterum naturalis lex vult; ut laboris nostri fructus ad nos quoque pertineat. Neque vero diffitemur, posse haec ad omnem in universum occupationem extendi, cum nulla detur, ad quam non hominis quoque opera requiratur, atque etiam fructuum sponte naturae collectio sine virium applicatione perfici haud queat. Satius tamen duximus, alterius huius fundamenti haec demum meminisse, ubi de eo occupationis genere sermo nobis est, in quo occupantis opera imprimis est conspicua; cum praeterea et prius fundamentum in se iam et solum etiam satis validum videretur, cui ius occupandi superstrui posset. e)

§. XVII.

e) Praecipua doctrinae a nobis haecenus stabilitae capita egregie iam adstruxit A. MDCXCII. IOH. GODOFR. HUFFMANNVS in Dissertatione de Dominio sub Praesidio IOH. ERERHARD. ROESLERI hic defensa, in qua sub finem §. IV. ita concludit: *Dominium particulare introductum censemus*

per



§. XVII.

Sed occurrendum quoque est dubio, quod nonnullis fatis grave visum, dignum omnino est, quod resolvatur, ut appareat, ea, quae hactenus a nobis asserta sunt, recte sibi constare. Sunt nimirum, qui dicunt, si dominia sola occupatione constitui queant, sequi inde, ut insignior hominum pars a paucioribus, acquirendis dominiis nimis iusto intentis, ab usu earum rerum, quae in omnium et singulorum commoda a Deo fuere data, praeter omne ius et fas excludi possit, atque sic vel perire debeat, vel ab istorum beneficentia unice pendere cogatur, quod ipsum tamen et iuribus connatis et aequalitati hominum naturali, ipsisque finibus Dei adeoque et legi naturali e diametro ad-

C c 2

ver

per solam occupationem, idque statim in Paradiso, quia alias sine eo ne quidem vivere potuisset homo. Ea autem, quae tunc non erant occupata, manserunt in communione positiva respectu domini universalis, et respectu particularis in privativa, quae vero occupari non poterant, in communione negativa. Consentunt hic nobiscum Buddens in Throl. Mor. P. II. Cap. III. Sect. V. §. 14. 15. Titius in Obs. ad Puffendorffiam de Offic. Hom. et Civ. Obs. 277 seqq. Barbeyrac ad Puffend. L. IV. C. IV. §. 4. Hochstetters in Colleg. Puffend. Exerc. VIII. §. 2.



versetur. Dicitur itaque haud posse, quod modus constituendi dominia, qui tam funestos et perniciosos effectus pariat, iuri naturali probetur. Sed salva res est, cum facili negotio hae nebulae dispellantur, nostraeque doctrinae sua lux restitatur. Falso enim supponitur, plus esse homines occupaturos, quam quidem in suos usus vel praesentes vel futuros adhibere queant, cum nemo quicquam appetat, nisi pro ea ratione, qua id suae utilitati inservire posse iudicat. Tam larga autem est bonorum a natura humano generi exhibitorum copia, ut adhibita cultura eorum proventus in quorumvis usus abunde sufficiant. Hinc et, si quis etiam plus iusto occupaverit, nullum exinde reliquis nascetur detrimentum, cum ampliores facultates nemo sine aliorum ope fructuosas reddere possit, qui sic non poterunt non cum dominio in communionem usus ipsorum industriae respondentem venire. Nemo autem dicet, voluisse Deum, ut vitam agamus otio diffluentem, et sine omni nostro labore nutriamur, omnibusque vitae commoditatibus fruamur. Ea etiam est terrae, quam incolendam humano generi dedit Deus, conditio, ut ex eius proventus spontaneo pauci tantum et non nisi misere ali et conservari queant, accedente autem hominum industria longe plurimi vitam omnibus non ad necessaria tan-



sanctum sed et ad iucunda pertinentibus
uberrime instructam transigere possint.
Quod ipsum argumento est, voluisse De-
um, ut labore interposito bona, quibus
frui vellent, homines sibi pararent, eq-
que ipso dominiorum particularium con-
stitutionem probasse.

§. XVIII.

Quodsi vero eum ponimus casum, ubi
quis fingitur in summa necessitate conti-
tutus, cui nec sit, quod occupare queat,
nec praebeatur facultas opera sua aliis ad-
dicenda victum sibi parandi, nec gratis
quicquam porrigatur, maior videtur sub-
oriri difficultas, cui sententia nostra sit
obnoxia. Qui ex pacto orta esse domi-
nia statuunt, facile se expediunt, cum
dicunt, omni pacto inesse tacitam condi-
tionem, qua summa et urgentissima ne-
cessitas excipiatur. Reviviscere itaque in
hoc rerum statu primaevam communi-
nem. Sic GROTIVS *de Iure Belli ac Pacis*
L. II. C. II. §. 6. n. 2. Hinc primo inquit,
sequitur, in gravissima necessitate reviviscere ius
illud pristinum rebus utendi, tanquam si com-
munes mansissent; quia in omnibus legibus hu-
manis, ac proinde et in lege domini, summa
illa necessitas videtur excepta. Atque sunt
quidem, qui nisi a pactis derivantur do-
minia, hanc obiectionem solvi posse haud



putant. p) Sed facilis omnino est solutio. Licet enim homines domini iure gaudeant in res suas, hoc tamen non obstat, quo minus obligati naturaliter sint dicendi, ad alios rebus suis, quantum id sine ipsorum fieri potest incommodo, iuvandos. Et quamquam haec obligatio respectu habito ad ius eorum, qui iuvandi sunt, tantum est imperfecta, quin tamen, ubi alter in summa necessitate est constitutus, nos vero bonis abundamus, in perfectam abire possit, et eo, quem posuimus casu, abire etiam debeat, nullum esse potest dubium. Ut enim haec obligatio tantum sit imperfecta, inde venit, quia is, qui indiget, non aequè ac nos ipsi iudicare potest, annon eadem premamur indigentia, quod hoc, quem ponimus, casu aliter se habet. Neque etiam quod sic ex necessitatis iure ab altero nobis invitis adimitur, ita ad ipsum pertinere potest, ut non ad restitutionem obligatus sit censendus, ex quo ipso patet, ius domini

p) Sic visum est VEETHVISENIO *de principiis Iusti et decori pag. 100.* qui hoc cumprimis adversus occupationem urget, allegatus a PUFENDORFFIO *de Iure Nat. et Gent. L. IV. C. IV. §. V.* quem tamen parum roboris tribuisse huic argumento constat, cum ipsam hanc obiectionem, adhibitis rectoribus principiis, L. II. Cap. VI. §. 6. optime solvat.



nil nostri alterius iure se conservandi non perimi penitus, sed saltim aliquo modo

suspendi.

§. XIX.

Stabilita iam, et firmata de dominorum origine sententia, licebit nobis eam quoque paucis adhuc illustrare, in subsidium advocatis nonnullis, quae ex sacrorum oraculorum fide ad hunc scopum facere possunt. Licet enim sacer codex modum, quo dominia fuerant introducta, quod iam observavimus, non describat, ostendit tamen, res omnes in hoc terrarum orbe ab ipso rerum omnium Conditorum humano generi datas, donatasque esse, Gen. I. 28. 29. 30. IX. 2. 3. Psal. 16. atque statim ab initio inter ipsos primos homines particularibus dominis locum fuisse. Sic enim Gen. IV. 2. 4. Cainus dicitur agrum coluisse, Habel autem gregem aluisse, isque ex frugibus agri, hic vero ex primigenitis gregis sui, sacrificium Deo obtulisse. Quis vero haec dominia pacto vel etiam tacito saltem introducta fuisse dixerit? Eadem ratione, quae Gen. XII. occurrunt, satis docent, sola occupatione tum temporis dominia fuisse constituta. Sed vel haec sufficient,



Atque sic liquere putamus, quam falsa sit auctoris istius anonymi, cuius placita sub initium huius dissertationis proposuimus, assertio, qui et sibi et aliis persuadere vult, dominia particularia, ringente et obfuscante rectae rationis dictamine, fuisse introducta. Clarum iam esse potest, primaevam istam rerum omnium communionem nunquam fuisse positivam, quae proinde nec deseri potuit. Clarum porro est, nec communioni positivae inter homines locum esse posse, nisi vel per occupationem societatis nomine factam, vel per singulorum, qui iam dominium constituerunt, consensum demum stabiliatur. Clarum denique est, tantum abesse, ut dominiorum introductio genus humanum depravaverit, ut potius omnes artes, omnisque inter homines industria, quin et ipsa generis humani multiplicatio in immensum iam porrecta huic maxime instituto debeantur.



XII.

DISSERT.

De Notione Virtutis.

Tubingae. m. DC. MDGCLXI.

§. I.

Virtutis notionem investigaturi haud operae pretium facturi videbimur non paucis, cum vix quicquam magis in vulgus notum esse, maioriq; virorum doctorum studio a remotissimis inde temporibus in Philosophorum aequae ac Theologorum scholis iam indagatum excussumq; videatur. Et ea quoque est virtutis indoles, ut non tam ingenii acumine rimanda, quam potius ipso opere totaque vita sit exprimenda, ipsisque oculis reapse exhibenda. Quae quamvis ita se habeant, inficias tamen iturum esse neminem confidimus, summi momenti rem esse virtutem, rectamque eorum cognitionem, quae ad eam referuntur, atque universi omnino generis humani interesse, ut recte de ea constet, suaeque ipsi lux vindicetur, dispulsis, quibus involvi obscurariq; posset,



set, nebulis. Neque vero etiam omnes recte de virtute præcepisse, eamque ipsius exhibuisse ideam, quæ digna satis esset, quam temere asseverabit, cum vel nostræ etiam ætatis tempora contrarium loquantur, quibus non desunt, qui exiliter admodum atque ieiunse de virtute differunt, ut taceamus eos, quorum opera ipsa virtus, quantumvis ipsis laudata et celebrata, pessum it et evertitur.

§. II.

Fuerunt quidem et olim, qui acerbissimis querelis in virtutem investi, eam nihil præterquam inane nomen esse contenderunt, quod M. FURNIVM BRVTVM a M. ANTONIO et OCTAVIANO ad Philippos prædicto superatum, iamque sibi ipsi violentas manus inferre parantem, fecisse, testis est PRO CASSIVS COCCIANVS. a) At facile ve-

a) DIO CASSIVS COCCIANVS. L. XLVII. p. 525. edit. Reimari Hamburg. 1750. ubi BRVTVS HERCVLIS istud dictum alta voce recitasse dicitur:

ὦ Φλῆμον ἀρετῆ, λόγος ἄρ' ἴθι. ἐγὼ δὲ σε
ὡς ἔρχου ποικων. ἐν δ' ἄρ' ἐδούλευς τύχη.
Ah! misera virtus, vox eras: ego te interim
Pro te colēbam, domina eam tibi fors foret.

Pertinent huc etiam illa Luciani in Deorum Concilio:



nia dabitur hominibus meliora non edo-
ctis, quin et calamitatum procella oppres-
sis, qui, cum viderent, viris bonis non
semper obtingere condigna virtutis prae-
mia, neque etiam spem vitae melioris post
hanc vitam conciperent, non poterant
non adduci, ut crederent, ipsam vir-
tutem hominum tantum ingenio confi-
ctam rem, sonumque inanem esse. b) Multo
autem intolerabilius est recentiorum quo-
rundam institutum, qui in ipsa luce cae-
cipientes, morum doctrinae faciem tamen
praeferre volunt, et dum virtutis indolem
recludere satagunt, ipsammet destruunt,
quippe quam ex sola utilitate ad modum
CARNEADIS derivandam statuunt. c). Sed
quid opus est pluribus ostendere, haud
sine ratione delectum a nobis esse, quod
per-

πῶ γὰρ ἐστὶ ἡ πολυθράλλαντος ἀρετῆ, καὶ φύ-
σις, καὶ εὐμαρμένη, καὶ τύχη, ἀνυπόστατα
καὶ κενὰ πραγμάτων ὀνόματα.

b) HORATIVS *Epistol. Lib. I. Ep. XVII.*
v. 41. 42. eandem tibiam instat:

— — aut virtus nomen inano est,
Aut decus et pretium recte petit experiens vir.

c) Praeter alios hic cum primis commemoran-
dus est Auctor Gallici libelli de L'ESPRIT,
quem HELVETIUM, virum inter Gallos illu-
stre, esse, ex actis publicis constat, ex quibus
simul id dicimus, ipsum a summis magistra-
tibus Galliae correptum palinodiam cantasse.



retractandum fūimus, commentationis huiusce argumentum? Quin potius ad rem ipsam convertimur.

§. III.

Virtus, quod recte observavit M. TULLIUS CICERO, *d*) a viro, hoc est, ea virtute, qua quis virum se maxime praestat, fortitudine, nomen sortita est. Virtus igitur est omnis recta animi affectio, omnis animi praestantia. Imo ipsa etiam corporis, quin et rerum inanimatarum vires, quousque aliquam continent praestantiam, vel usibus hominum inserviunt, virtutes saepe numero appellari solent.

§. IV.

Ea autem virtus, cuius notionem inquirimus, a generalissima hac acceptione omnino plurimum differt. Non enim quaevis, quid in physico rerum genere virtus dicatur, sed quis huic vocabulo sensus sit tribuendus, quando in morum doctrina

d) CICERO *Tuscul. Quaest. Lib. II. C. 18. At vide, ne cum omnes rectae animi affectiones virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium; sed ab ea, quae una caeteris excellebat, omnes nominatae sint. Appellata est enim ex viro virtus; viri autem propria maxime est fortitudo.*



Grina, cui maxime proprium est, usurpatur, et ad intelligentium substantiarum animi habitum refertur.

§. V.

Multo opere et longa ratiociniorum serie virtutis notionem investigavit Peripateticorum Princeps, ARISTOTELES, Ethicorum ad NICOMACHVM secundo libro, eamque tandem definit per *habitum proaereticum consistentem in mediocritate, quoad nos, definita per rationem, et prout prudens definiert.* e) Atque hanc ipsam quidem virtutis definitionem singulari ingenii acumine esse confectam, facile largimur, licet eidem calculum nostrum adiicere haud possumus. Viderat videlicet Philosophus hic acutissimus, virtutum nomine apud homines haud venire, quod conatum ingenitumque est, sed illum potius animi statum ita dici, quo voluntas crebrioribus exercitiis assuefacta in id unice propendet, quod vere bonum cognoscitur, atque hinc virtutem habitum dixit, eumque proaere-

- e) ARISTOTELES *Ethicor. ad Nicomachum Lib. II. cap. VI.* ubi ita: ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ, ἐν μεσότητι ἕσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ἀρισμένη λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ Φρόνιμος ὀρίσσειε.



aereticum, sive praelectivum, cum virtuti dediti, non per impetum, sed praevia deliberatione instituta, ad agendum se determinent. Observat idem insigni sagacitate, eius indolis esse virtutem, ut fere semper opposita sibi habeat ex utroque latere vitia, hinc in excessu, illinc in defectu se manifestantia, et versati maxime circa affectus, quibus obnoxium est genus humanum, regendos et moderandos, quod ipsum eorundem regimen eo absolvatur, ut ne quid nimis, nec nimis parum in illis admittendum sit. Neque etiam inepte dicit, istam mediocritatem per rationem esse definiendam, cuius quippe est, actiones humanas ita regere, ut ad bonum tendant. Quod autem viri prudentis iudicium huc trahat, non videtur eo fine factum, ac si hoc a ratione discrepare et alienum esse putaret, sed ut potius hoc modo significaret, in definiendo eo, quod in casibus specialioribus bonum est, multum pendere a iudicio rationis bene exercitatae, quod non nisi in prudentiores cadat, qui longo usu edocti omnia ad rationis decempedam exigere didicerint. Caeterum an mentem ARISTOTELIS, quod ad haec ultima adtinet, recte attigerimus, iudicium esto penes alios. Certum est, ipsum, licet in reliquis huiusce definitionis partibus explicandis et illustrandis admo-

mo.

modum prolixus sit, f) ultimas tamen sicco fere pede transivisse.

§. VI.

Quamquam vero haec non sine ratione pro ARISTOTELE allegari possunt, non tamen eapropter ipsius definitionem probandam putamus. Haud pauca enim sunt, quae recte in illa desiderantur; et primo quidem loco, quaeri posset, an apte definiatur per habitum virtus. Cum vero hanc quaestionem in sequentibus simus resoluturi, omittendam eam hic arbitramur. Magis vero reprehendendus videtur, quod naturam virtutis in mediocritate affectuum actionumque posuerit, neque suo destituntur fundamento, quae immortalis HVGGO

GRO-

§) Pertinent. huc, quae l. c. Lib. II. Cap. IV. de genere definitionis, Cap. V. de differentia specifica, dixerat, quibusque a Cap. VI. ad finem libri mediocritatem istam, cum generatim exponit, tum speciatim ad singulas virtutes applicat, ipsiusque accidentia considerat. Pertinent, quae Lib. III. praemissis Cap. I. II. et III. quaestionibus de eo, quod est invitum, sive per vim, sive per ignorantiam, quodque spontaneum est, Cap. IV. et V. de proaeresi affert, ad quae referri adhuc quoque debent, quae Cap. VI. VII. et VIII. sunt dicta.



GROTIUS adversus ea monuit, g) quibus diluendis nequaquam omnino sufficere videntur, quae IO. FRIDER GRONOVIVS, et IOANNES a FELDE, in Notis suis ad GROTII Librum de I. B. ac P. regefferunt. Quamvis enim verissimum sit, magnam omnino virtutis partem inter homines in eo versari, ut affectus atque appetitiones nostras, quae frequenter admodum turbari solent, in medio contineat, et ab extremis, excessu videlicet et defectu, revocet: non tamen excessui locus est in illis appetitionibus, in quibus virtus maxime collocanda est, nimirum in amore Dei, et universali ista versus omnes benevolentia, sin aliter recte de his rebus sentiamus. Effet praeterea, quod in hac definitione carpere possemus; sed cum iam non id agamus, ut ARISTOTELEM ex instituto refutemus, ipsam potius virtutis naturam et indolem investigaturi, sufficiet haec notasse.

§. VII.

Ex eadem ratione haud ducimus necessarium, proluxa recensione aliorum Philosophorum de virtute notiones proferre in

g) HUGO GROTIUS *de Iure Belli ac Pacis Prolegom.* §. 43. 44. et 45. quae verba, cum liber in omnium sit manibus, nil iuvat huc transcribere.

in medium, nostroque examini subiicere. Et e veteribus quidem unus ARISTOTELES, de quo diximus, esse potest instar omnium, quippe qui ingenii perspicacia, et methodi, quam servat, accuratione atque in docendo claritate, reliquos omnes longe post se relinquit. A recentioribus vero Philosophis communiter virtus definitur per *habitudinem actiones suas legi conformiter dirigendi*, quam definitionem suam quoque fecit CHRISTIANVS WOLFFIVS, h) cui passim omnes fere concinunt. Celeberrimus IOACH. GEORG. DARIBS, qui caeteroquin ut plurimum Wolfianâ placita sequi solet, ad imbecillitatem hominum suam de virtute notionem accommodasse videtur, dum illam *internum mentis nostrae robur dicit, quo magis in bonum, quam in malum propendet.* i)

h) WOLFFIVS in *Philosophia pract. universali Part. I. §. 321.*

i) DARIBS in den ersten Gründen der Philosoph. Sittenlehre §. 72. Dabimus verba Auctoris ipsa, quae ita habent: *Diese innere Stärke in der Kraft unseres Geistes, wodurch er mehr gegen die Ausübung des Guten, als gegen die Ausübung des Bösen geneigt ist, heißt die Tugend.* Cum vero haec verba respiciant proxime praecedentia, nec satis liquere cuivis possit, quid per istam vim mentis nostrae intelligat, dan-



xa haec admodum, et vix digna virtutis no-
 mine esse videntur. Magis sobrie aequè
 ac solide philosophatur CHRISTIANVS AV-
 GVSTVS CRVSIYS, cui virtus dicitur *Har-*
monia status moralis, quem Spiritus habet, cum
lege divina. (k) Possent haec sufficere, nisi
 vel ob suam novitatem, eandemque in-
 da etiam sunt verba ultima praecedentis.
 §. 17. Hieraus folgt, dass uns die Vernunft
 keinen andern Weg zur Glückseligkeit, wann
 wir nemlich diesen überhaupt betrachten wol-
 len, zeigt, als dass wir unserer Kraft,
 welche wir unsere Willkürlichkeit nennen,
 das natürliche Gleichgewicht beizubringen, und
 solche in ihrem Inneren stärker machen sol-
 len, gegen die Ausübung des Guten, als
 sie gegen die Ausübung des Bösen geneiget ist.
 (k) CRVSIYS in der Anweisung vernünftig zu
 leben §. 161. ubi verba ita haent: Die Tu-
 gend ist die Uebereinstimmung des morali-
 schen Zustandes eines Geistes mit dem gött-
 lichen Gesetze; quam definitionem ita expli-
 cat eodem loco: Moralisch nenne ich alles
 dasjenige, was seine Wirkung vermittelst
 eines freyen Willens hervorbringt. — Ich
 meine also, es soll alles, was nur irgend
 auf eine Art von unfrem freyen Willen ab-
 hänget, und entweder davon unmittelbar
 gewirket wird, oder eine Folge seiner Tha-
 ten ist, oder demselben hätte unterworfen
 werden können, mit dem göttlichen Gesetze
 übereinstimmen.

expectatam, adiicienda etiam videretur
idea, quam de virtute sibi concepit D.
IOSEPHVS BVTLERVS, Episcopus Durha-
mensis, Anglus, qui virtutem idem dice-
re putat, quod vulgo prudentia audit,
eamque definit per *debitam attentionem ad
nostra propria commoda, sive felicitatem no-
stram, curamque rationi convenientem eadem
conservandi et promovendi, l) simulque di-
sputat adversus eos, qui virtutem in stu-
dio fecilitatem generis humani in hoc rerum
status pro cognitionis suae mensura promovendi
ponunt. Id unicum adhuc addimus, esse
quoque, qui retenta differentia virtutis
specificae, qua ipsi moderamen actionum
liberarum ad legem vel voluntatem divi-
nam tribuitur, genus eiusdem per con-*

D. d 2

stan-

h) D. IOSEPH BVTLERS *Befätigung der na-
türlichen und geoffenbahrten Religion aus
ihrer Gleichförmigkeit mit der Einrichtung
und dem ordentlichen Laufe der Natur; im
Anhang von der Natur der Tugend, p. 433.*
ubi Auctor ita: *Ich sollte glauben, daß
eine gehörige Wahrnehmung unsers eigenen
Vorthails oder unserer eigenen Glückseligkeit,
und eine vernünftige Bemühung solche zu
erhalten, und zu befördern, welches ohne
Zweifel der eigentliche Verstand des Worts,
Klugheit, in unserer Sprache ist; ich sollte
glauben, sage ich, daß dieses Tugend, und
das entgegen gesetzte Betragen fehlerhaft
und tadelnswürdig sey.*



stantem et perpetuam voluntatem, vel per constans animi propositum studiumque, exprimere malunt.

§. VIII.

Quodnam vero diversis hisce definitionibus statuendum sit pretium, opus haud est, peculiari instituto examine determinare. Ex iis enim, quae dicenda sunt ulterius, facile apparebit, quo singulae, nostro quidem iudicio, habendae sint loco, quaeque prae reliquis vel magis, vel minus commendare se nobis videatur. Praemissis itaque iis, quae hactenus dicta sunt, iam ipsam rem adgredi licebit.

§. IX.

Duplex autem datur via, qua progredi licet iis, qui naturam virtutis investigare volunt. Altera ab eo, quod per experientiam constat, orditur, et a principiatis, quae dicunt, ascendit ad principia. Altera ab iis, quae primum sunt cogitabilia, tractationis initium facit, et ad principiata descendit. Vti prolixior futura esset inquisitio in virtutis indolem analytica, quod praesentis nostri instituti rationibus, brevitatis studium deposcentibus, minus esset conveniens: ita posteriori via potissimum hac vice incedendum

no-

nobis putamus, priori alii tractationi, si e re visum fuerit, reservanda.

§. X.

Cum virtus, qua de nobis sermo est, *morale* sit secundum ea, quae superius §. IV. diximus: ante omnia dispiciendum, quid morale dicatur. Omnibus, quantum scio, recentioribus Philosophis, morale dicitur, *quicquid per actionem liberam possibile est*, ipseque CRVSIVS, qui caeteroquin in pluribus, quae ad morum disciplinam pertinent, a Wolfianae Scholae placitis recedit, secundum ea, quae superius §. VII. allegavimus, hac in re eandem fovet sententiam, Negare autem haud possumus, non probari nobis hanc definitionem, et in promptu sunt rationes, dissensui nostro patrocinantes. Etenim nemo non videt, diversum non tantum esse morale a physico, sed et eidem quodammodo opponi. At vero si morale dicitur, quod per actionem liberam est possibile, nulla adest inter morale et physicum diversitas, multo minus qualiscunque oppositio, cum actio libera habeat entitatem physicam haud minus ac ea, quae eandem consequuntur. Eo igitur respectu, quo actio libera, cum suis consecutariis, ut physicam existentiam habens, consideratur, haud profecto di-



cetur moralis. Opus itaque est, ut aliud quid praeterea ad actionem liberam in consideratione nostra accedat, si moralis dicenda sit. Hoc vero quid sit, facili omnino negotio potest intelligi. In actione enim libera quacunque, quam nobis considerandam sumimus, praeter *τὸ* physicum eius, non potest non etiam animadverti relatio, quam habet ad normam, cui accommodatur. Quicquid enim libere fit, praevia animi deliberatione sive consultatione fit, quae concipi non potest, nisi aliquis scopus animo sit propositus, ad quem tendat actio libere suscepta. Quodsi vero ad unum eundemque scopum non una sed plures actiones adtemperantur, prodit norma; ipsaque illa relatio, quam habent actiones ad normam, id sistit, quod morale dicendum est, atque sic in hac ipsa relatione habemus, quod in actione libera, ut libera, praeter *τὸ* physicum ipsius necessario cogitare debemus. Forfan illi, quibus morale dicitur, quicquid per actionem liberam possibile est, id ipsam, quod hactenus diximus, tacite innuunt, vel, quod aiunt, subintelligunt; nullibi enim memini me distinctam huius conceptus evolutionem invenire. Interim tamen mirifice iuvat, distinctis uti notionibus, maxime quod illos adinet terminos, qui in disciplinis quasi primi sunt, quibusque omnia superstruuntur.

Abso-



Absonum profecto est, obscure loqui cum clare liceat. Clarius vero procul dubio est, dicere, actionem liberam esse moralem, quia relationem habet ad normam aliquam, quam eandem ita appellare, quia est libera.

§. XI.

Neque mea solius haec est sententia, quod in actionis liberae consideratione physicum et morale a se invicem sollicite sint distinguenda, atque id, quod morale dicitur, ut entitas physico superveniens concipi debeat. Idem sensit acutissimus olim Philosophus, et de morali disciplina praeclarissime meritus ANDREAS ADAM. HOCHSTETTERVS, qui gravissime pronunciat: *Moralitatis definitio inter difficilimas haud immerito habetur. Adeo ut Vir celebris (SAMUELEM STRIMESIVM designat) inauditam dicat hanc abstractionem, nec possibilem. Id certum constitutumque arbitramur, Moralitatem supervenire rã esse rerum sive actionum naturali velut entitatem ab eo distinctam, quemadmodum et cum esse artificiali comparatum est. Sed in quonam ea formaliter consistat, acriter Iliacos intra muros certatur et extra. Digna etiam sunt, quae hisce in Nota m) subiicit, quae huc ex-*

D d 4

scri-

m) HOCHSTETTERVS in Collegio Puffendorff.

Exercitat. II. §. VI. p. 48. 49. Videantur.

ß



scribantur, licet paulo prolixiora sint; imo non digna tantum, sed et eapropter fere necessaria, quia obiectioni a nobis occurr-

si placet, Positiones nostrae Inaugurales Anno MDCC. d. 23. Aug. haec defensionae, o §. 9. ad §. 13. ubi docuimus (N) non coincidere τὸ Liberum cum Morali; Liberum enim actui voluntatis esse Naturale, neque per id constitui Moralem, sed fieri demum posse Moralem. (Γ) Moralitatem non esse Ens rationis: sed verum ac reale Ens, sumto τῷ Reali, pro eo omni, quod revera existit, et reales suas habet affectiones, qualitates, quantitates: adeoque non tam in genere Physico, quam Moris. Uti v. c. Si quis constituatur Rei alicuius Dominus, nihil quidem ei in dominio ut Tali physicae Entitatis accedit: interim ipsum dominium, sive Facultas illa moralis, de ista re, tanquam sua, deinceps disponendi, pro imaginaria haberi non debet. Conf, Osiand. Theol. Moral. P. I. cap. 8. §. 6. Sed vera est et realis. Contra Durandum, cui satisfacit D. Zentgravius, de Orig. J. N. p. 237. sq. (Δ) Neque Moralitas, ut sic, in nudo ad Legem respectu collocanda est; quia dantur, ut loqui nonnullis cum D. Zentgravio placuit, Moralia Naturalia, iis, qua per Impositionem talia sint, opposita, uti est: Deum blasphemare, quod abstrahendo, ab omni Lege malum sit. Vbi hoc saltem advertendum



currendum est, cuius ibidem mentio est facta. Negatur videlicet, quod Moralitas sit sic in nudo ad legem respectu sit col-

D d 5

locan-

dum, moralibus etiam Naturalibus competere Regulabilitatem, adeoque habitudinem ad Regulam, quae est Lex, licet praecisa haecenus ipsa sit Regulatio. (7) Nec denique consistit in Imputativitate, seu visum olim Pufend. in Elem. Jurisprud. Univ. et in Opere Maiori L. I. c. V. §. 4. quia Imputativitas re Morale potius consequi, ceu affectio, quam illud ceu formale constituere videtur. Zentgrav. l. c. p. 242. Circumspectius Vir summus loquitur de Off. I, 1. 17. et hanc praecipuam Moralitatis affectionem vocat. (7) Placuit Venerabili deque studiis nostris praeclare merito Viro, Formale Moralitatis in valore collocare; secundum quem Actus sit aestimabilis, quique fundetur, cum in ipso agente, remota etiam lege: tum in obiecto, et sine ac reliquis demum circumstantiis omnibus, ex quibus actus Moralibus consurgit. Vbi tamen circa valorem observandum esse existimamus: illum ut talem correspondere PRETIO, adeoque ad modum potius aestimativum sive quantitatem Moralem, quae Actui demum Morali, per modum substantiae analogice concepto, quasi accidit aut supervenit, referendum esse. Vti gravitas delictorum, adeoque et valor eorum aestimatur ex obiecto, effectu, intentione,



locanda, quia dentur moralia naturalia. Sed ipse perspicacissimus Vir ferias hic quoque nobis fecit, dum observat, competere etiam moralibus naturalibus regulabilitatem, adeoque habitudinem ad regulam, quae est lex, licet praecisa hactenus ipsa sit regulatio. Addimus, moralia naturalia non tantum habere regulabilitatem, sed omnino inferre regulati quid, sive relationem actua- lem non quidem ad legem aliquam formaliter dictam, sed tamen ad normam, quae

*tione, aliisque, quae pretium eiusdem au-
gent aut minuunt, circumstantiis. Puffend.
Off. II. 13, 16. Unde bene est, quod valor
hic in debita latitudine accipiendus esse dici-
tur. Ut proin omnium forsitan commodissime,
collatis undique ac discussis rationibus, arbi-
tremur: Constitutum Moralitatis Prin-
cipium sive Formale illius, esse Entitatem,
quae afficit actum liberum eidemque super-
venit: ut ille vi huius Entitatis aliam ac
ab esse suo diversam speciem sortiatur.
Quae quidem Entitas nihil aliud est,
quam tota illa Obiecti sive Actus, omnibus
Circumstantiis vestiti, habitudo ac quies,
actum Physicum afficiens, eumque nova spe-
cie determinans. Et hanc Actus humani, qua
talis formam appellamus, quae ipsi dat esse
suum, et qua posita ille proxime at primo
in esse constituitur. Ut iam non difficile sit,
invenire rationem, cur certi actus hominibus
Morales sint, qui brutis tales non sunt.*



quae materiale legis constituat, suo modo instar legis haberi queat.

§. XII.

Cum igitur τὰ morale dicat omnem actionem liberam, quae habet relationem ad normam, clarum est, pro diversitate normae, diversam etiam prodire moralitatem. Vti vero hic conceptus est latissimus, cum secundum eum etiam actiones liberae cum norma a nobismet ipsis pro arbitrio admissa et stabilita collatae morales sunt dicendae: ita duplex datur moralitatis genus, cui potiori quodam iure et magis proprie haec appellatio tribui solet. Aut enim ista repetitur ab ipsis rerum essentis, et natura entium intelligentium cum eorum, quae agunt, tum et eorum, ad quae refertur actio, ita ut haec eonunctim considerata dicantur agendorum normam exhibere, quo casu moralitas, quae inde exsurgit, intrinseca vel obiectiva dici solet; aut vero repetitur a voluntate superioris, qua eorum, qui a se dependent, actiones moderatur, ipsisque ita normam praescribit, atque tum moralitas haec subiectiva vel formalis, sive in oppositione ad priorem extrinseca quoque appellatur. Cum prior ista moralitas, intrinseca dicta, simul sit aeterna, utpote ipsis rerum essentis, quae sunt aeternae,

nixa



nixa, eadem quoque basis et fundamentum est omnis moralitatis subiectivae et formalis, neque haec isti potest esse contraria, cum ipsi facultati superioris leges ferendi ab ipsa ista moralitate intrinseca modis ponatur. Neque tamen eapropter dici potest, frustraneum itaque et superfluum esse, ut moralitati intrinsecae et obiectivae accedat et adiungatur moralitas subiectiva; qua enim ratione frustraneum et supervacaneum esse haud iudicatur, ut ad materiam accedat forma, quippe quae demum rei dat esse et distingui; eadem etiam idem de moralitatis obiectivae cum subiectiva coniunctione pronunciandum esse, nemo non intelligit.

§. XIII.

Morale igitur sensu proprio et stricto demum prodit, quando moralitas et obiectiva et subiectiva ut unitae inter se concipiuntur, caditque proinde in actionem liberam, quatenus illa habet relationem ad legem strictè dictam, quae voluntatem superioris circa actiones subditorum regendas sistit.

§. XIV.

Pari modo bonum et malum, quousque hae notiones ad mores referuntur,
cum



cum moralitatis conceptum supponant, et ex eodem fluant, pro diversitate acceptiōnis, qua aliquid morale dicitur, diversam quoque sortiuntur indolem. Vti enim latissimo sensu moralis dicitur actio libera, quae habet relationem ad normam qualemcunque: ita actio normae huic conveniens, bona, ab eadem vero discrepans, mala audit. Minus lato significatu actio libera naturae rerum ipsisque essentiis conformis, intrinsecè bona, iisdem vero repugnans, intrinsecè mala appellatur. Denique, proprio et stricto sensu, actio libera legi strictè dictae conveniens, formaliter bona, minus conveniens, formaliter mala dicenda erit.

§. XV.

His praemissis viam nobis iam stratam esse putamus, ad ipsam virtutis notionem determinandam. Et ab initio quidem statim observare licet, quod virtus, uti in genere considerata, secundum ea, quae §. III. monuimus, praestantiam aliquam virium vel animi dicit, morali sensu sumpta praestantiam aliquam animi moralem non possit non denotare. Quum autem ex hactenus dictis constet, moralia versari circa actiones liberas, earumque relationes ad normam vel legem, liberarum vero actionum fons quaerendus sit in ea animi facultate, quae voluntas dicitur, ut
vir-



virtus aliquam voluntatis praestantiam, et talem quidem, qualem actionum liberatum ad normam compositio infert, significare omnino debeat, oppido necesse est. Consequens porro est, cum morale quid non uno tantum modo dicatur, ut pro diversa eius acceptione diversa etiam voluntatis hoc nomine praestantia, sive virtus, animo concipi queat.

§. XVI.

Quaeri autem iam potest, quomodo ista voluntatis praestantia aptissime et distinctissime exprimi possit, cum, ubi praestantia dicitur, semper adhuc quaestioni locus sit, qualis ea sit habenda. Atque ex definitionibus quidem superius §. V. et VII. exhibitis facile perspicitur, non eandem omnibus fuisse sententiam, aliis hoc, aliis aliud genus virtuti tribuentibus. Plurimorum quidem sententia in eo consentit, ut virtutem per habitum definiendam putent; sunt tamen etiam, quibus diversum placet. Sic Cel. DARIUS in robore mentis, CRYSIVS in Harmonia, alii, ad quos pertinet MAGNVS DANIEL OMEISIVS, in constantia voluntatis, virtutis genus collocarunt. Atque huic ultimae sententiae ipsum etiam Ius Civile Romanum suffragatur, quod virtutem Iustitiae per constantem et perpetuam voluntatem ius suum cuique tribuen-



endi definit, sicque genus virtutis in voluntatis constantia et perseverantia ponit. Quamquam vero inter haec omnia tantum haud forte discrimen intercedit, quin conciliationi locus esse queat: tamen non abs re futurum putamus, si de virtutis genere penitior disquisitio instituatur, et vet maxime examinetur, quo iure habitus dicatur; quo ipso forsitan conciliationis alicuius argumenta suppeditabuntur.

§. XVII.

Habitus, ex communi fere Philosophorum sententia, est promptitudo agendi acquisita crebriori actuum homogeneorum repetitione. Qui significatus si voci tribuatur, palam est, posse concipi virtutem; cui hoc genus neutiquam respondeat. Cum enim virtus, si ad morabilitatem intrinsecam respiciatur, in omnibus entibus intelligentibus et libere volentibus locum invenire queat, eius generis virtus tribuenda omnino etiam est Enti independenti et Spiritui summo, Deo, qui superiorem non habet, atque hinc nec moralitatis alicuius formalis, uti dicitur, capax est. In Deum vero non cadit habitus, qualis heic fuit definitus, quippe qui successionem involvit, quae in Deo non potest non exulare. Aliter pronuntiandum foret, si habitus pro promptitudi-
ne



ne agendi quacunque sumeretur, praescin-
dendo, utrum ista exercitatione frequen-
tiori fuerit comparata, quod in entibus
finitis contingit, an vero per se enti in-
sit, quod de infinito dicendum est.
Neque etiam ipse ARISTOTELES, qui vir-
tutem per habitum definiuit, cum hoc vo-
cabulo hanc ideam coniunxisse videtur.
Quando enim exponit, quod discrimen
inter dispositionem et habitum intercedat,
haec duo ita distinguit, ut habitum qua-
litem perdurantem nec facile mutabilem,
dispositionem vero qualitatem variabilem
et cito mutabilem dicat. Digna videntur
verba, quae in nota subiiciamus. n) Quod si
igitur habitus nihil aliud dicit, quam qua-
litem constantem, nihil obstat, quo mi-
nus et hoc termino in virtute generalis-
sime definienda uti queamus, quippe qui
hoc pacto idem fere denotat, quod non
nulli designare voluerunt, dum virtutem
con-

n) ARISTOTELES *Oper. Tom. I. Categor.*

Cap. VIII. n. 4. p. m. 20. ita differit;

Διαφέρει δὲ ἕξιν διαθέσεως, τῷ χρονιώτερον
εἶναι καὶ μονιμώτερον. τοιαῦται δὲ αἶτε ἐπι-
τήμῃ, καὶ αἱ ἀρεταί. — ὅσαυτως δὲ καὶ
ἡ ἀρετὴ, ὅσον ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ σωφροσύνη,
καὶ ἕκασον τῶν τοιούτων, ἐκ ἐκίνητον δοκεῖ εἶ-
ναι, ἐδ' ἐμμετάβολον. Διαθέσεις δὲ λέγον-
ται, αἷ ἐσιν ἐκίνητα, καὶ ταχὺ μετα-
βάλλοντα ὅσον θερμότης καὶ ψυχρότης, καὶ
νέσος καὶ ὑγεία, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα.



constantem et perpetuam voluntatem dixerunt, imo nec a conceptu a Celeberr. DARIËS adhibito abludit, cuius robur mentis in spontaneitate ad eandem hanc voluntatis constantiam proxime accedere videtur.

§. XVIII.

Quemadmodum vero haec de genere virtutis sufficere possunt, ita facilius adhuc erit, ex hactenus dictis, eiusdem differentiam specificam, uti in scholis loqui amant, determinare. Habitus enim iste voluntatis non potest non versari circa appetitionem boni moralis, adeoque circa actionum moderamen eiusmodi, quo istae normae convenienter instituuntur, et ab omni sollicitate cavetur, quod eidem posset esse contrarium. In eo enim, morali sensu, consistit praestantia voluntatis, ut haec nihil appetat, nisi quod vere bonum est, nihilque aversetur, nisi quod vere malum esse deprehenditur. Vere bonum autem est id, quod normae vel legi ex omni parte convenit, et vere malum, quod ab ea deflectit; si vel maxime deinde cum eo, quod legi convenit, physicum malum, vel cum eo, quod ab eadem discrepat, physicum bonum, coniunctum fuerit.

E e

§. XIX.



§. XIX.

Quodsi igitur virtus eo, quo diximus sensu, habitus dicatur, actiones suas ad normam componendi, notio eius exhiberi videtur distincta et completa, quatenus videlicet virtutis vocabulum significatu latissimo usurpatur. At verò generalissima haec virtutis acceptio nunquam praeclaro virtutis axiomate insigniri condecorarique solet. Hoc enim si admitteretur vel ipsa vitia, quin et scelera nefandissima, virtutis nomen nactura essent, cum forma qualiscunque, etiam pro arbitrio posita, arbitrariam quoque moralitatem inferat, qua bonum honestumque pronunciari posset, quod omnium persuasione turpe habetur. Quotidiana experientia loquitur docetque, eadem ratione, qua viri boni sibimet ipsis agendorum normam constituent, ut eo facilius officii sui partibus defungi queant, ob quod ipsum prudentiae laus ipsis tribui solet; scelestissimos et pravissimos quosque etiam agendorum regulam sibi condere, ut eo minus impedita pestilentissima sua consilia exequi valeant, quod tantum abest, ut prudentia appelletur, ut potius versutiae atque calliditatis malitiosae nomine veniat. Quis igitur virtutem dixerit talem habitum, actiones suas ad quamcunque normam adtemperandi? Haud proinde normam qualemque



que sequi potest virtus hoc nomine revera digna. Interim observare licebit, insignem hanc analogiam, quae inter virtutem et prudentiam obtinet, procul dubio BVTTLERO, cuius §. VII. meminimus, occasionem dedisse, duos hosce conceptus mutuo confundendi. Utraque dicit habitum actiones suas ad normam dirigendi; ast normam aliunde sibi propositam, ut statim ostendemus, virtus sequitur, prudentia vero eandem condit, ipsa tamen hoc nomine indigna, nisi quousque in definienda sibi agendorum norma virtutis dictamen sequatur, et ab ea haud desiscat.

§. XX.

Quandoquidem ergo latissimus iste virtutis significatus admitti haud potest, ut ad minus latum descendamus, necesse est. Cum autem hoc sensu moralitas dicat relationem actionis liberae ad rerum essentias, atque eapropter intrinseca appellatur; virtus erit habitus, actiones suas suae et aliarum rerum essentiis conformiter instituendi, seu omnia ea et sola agendi quae habent bonitatem moralem intrinsecam. Atque hunc quidem de virtute conceptum sibi formant recentiorum Philosophorum plerique, a formali et subiectiva moralitate abstrahentes, sola materiali



riali et obiectiva contenti. Et profecto si homo esset independens, aut ipsius superior Deus humana haud curaret, hominumque actiones legislatoria sua voluntate non regeret, nulla etiam alia daretur virtus. At vero cum nullum ens intelligens et libere agens praeter Deum solum sit independens, omnibusque finitis lex, formaliter talis, sit sancita, haec virtutis definitio non nisi in solum Deum cadit, cuius sanctissima voluntas, licet liberrime, nihil aliud vult, quam quod perfectissimae suae essentiae, omnium reliquarum essentiarum fonti, quam exactissime est conforme.

§. XXI.

Spirituum igitur finitorum omnium virtus ponenda erit in habitu, actiones suas ad legem divinam, et vel maxime naturalem, conformandi. Dum enim lex ipsis, formaliter talis, a Deo superiore, tanquam subditis ipsius, lata atque dictata est, non sufficit, ut intrinsecam tantum honestatem pro agendorum norma agnoscant, atque ad eam actiones componant, sed insuper quoque requiritur, ut legi, qua legi, pareant, atque adeoque ex sensu dependentiae suae actiones eidem convenienter instituant.

§. XXII.



§. XXII.

Neque est, cur dicatur, eo sublimiorem esse virtutem, quo lubentius id, quod lege praescribitur, non tam ob legis praecceptum, quam ex sensu bonitatis moralis, a voluntate perficitur. Id quidem maxime in virtute requiritur, ut ista actionum cum lege conformatio non ex formidine poenae, legis transgressoribus expectandae, sed ex sensu quodam bonitatis moralis, instituat, cum, ubi istud obtinet, nulla ad agendum promptitudo, sed aliqua potius interior animi repugnancia adfutura esset, quae animi qualitas ex definitione in virtutem haud cadit. At vero ut Spiritus finiti atque dependentis virtus, remoto dependentiae suae sensu, vera, ne dicam sublimior, dici queat, fieri haud potest, cum sic ne quidem cum moralitatis intrinsecae norma conspiratura esset. Vti Dei est, sibi convenienter agere, ita creaturarum est, Deo conuenienter suas actiones moderari, easque in omnibus ad ipsum referre.

§. XXIII.

Intelligitur clarissime ex haecenus dictis, virtutem non esse, nisi unam, cum sit habitus voluntatis omne actionum liberarum genus ad eandem legis normam dirigens; neque eam in conformitate status



nostri moralis cum lege divina, quod CRVSIVS dixit, poni posse, quippe quae notio effectum potius virtutis designat, quam ipsam virtutem, quae in voluntatis dispositione constanti collocanda esse perspicitur. Patet porro, virtutem, cum circa legis divinae observationem versetur, proprie ad humanarum legum observantiam non esse trahendam, nisi quousque haec legum quoque divinarum praesidio fulciuntur. Sunt quidem, qui etiam de Virtute civili praecipunt. At vero cum forum humanum tantum ad externum actionum habitum respiciat, sua natura virtus, quae interna animi dispositione maxime absolvitur, soli foro divino est vindicanda.

§. XXIV.

Aliter dicendum est de virtute Christiana, quae omnino veri nominis, eademque philosophica longe sublimior, virtus est. Qualis vero ea sit, et in quo cum ea, quam ratio assequitur, conveniat, vel ab eadem discrepet, nostrum non est pronuntiare. Faxit Deus O. M. ut vera virtus in nostris animis excitetur, et quam largissima capiat incrementa!





SERIES DISSERT. IN HOC TOMO
CONTENTARVM.

I. de eo, quod iustum, circa relaxationem iuris iurandi.	pag. 1
II. de cura principis circa pretium aeris sign.	44
III. de notione obligationis.	89
IV. consensus praesumptus cum Quasi-Contractibus e J. N. proscriptus.	117
V. de genuino fonte iuris vitae ac necis.	148
VI. an iustum esse possit, quod non est honestum?	180
VII. de eo quod licitum est, circa infectionem variolarum.	216
VIII. de iustis iuris bellum gerendi et inferendi limitibus.	247
IX. de fonte iuris nat. utrum in instinctibus an in ratione quaerendo?	288
X. qua rem fructusque consumptos a bonae fidei possessore non restitui debere contra receptam moralistarum sententiam asseritur.	335
XI. de origine dominiorum sive proprietatis.	369
XII. de notione virtutis.	409

COR.



CORRIGENDA.

- Pag. 35. lin. 25. pro *proprius*, l. *propius*
 --- 48. --- 31. pro *ornamento* l. *ornamento*
 --- 63. --- 5. --- *Principium* l. *Principum*
 --- 83. --- 5. --- *iacturam* l. *iacturam*
 --- 113. --- 18. --- *civitas* l. *civibus*
 --- 133. --- not. m) post L. II, adde C. XI.
 --- 139. --- 7. pro *tentantum* l. *tentatum*
 --- 185. --- 9. post vocab. *disconvententiã*, adde: *cum*
 --- ipsa natura rationali et sociali,
 --- 242. --- ult. pro *Partis* l. *Patris*.
 --- 247. --- 15. 16. pro *præire* l. *praeterire*
 --- 267. --- 7. pro *bello* l. *libello*.
 --- 278. --- 6. --- *occasione* l. *animo*
 --- 287. --- 13. post verb. *sufficiat*, adde. non sumendum
 --- usum: si usus etc.
 --- 313. ult. p. XIII. l. XIX
 --- 362. --- 24. pro --- l. 13. pr. h. 15. pr. ff.
 --- 391. --- 7. post *in* adde: labore nec in etc.
 --- 397. --- 2. pro *inatio* l. *initio*
 --- 417. --- 9. post verbum *legi* adde: natural
 --- 420. --- 2. post verba *studiumque*, adde: quam per
 --- habitum.

Reliquos errores typographicos benevolus Lector ipse
 corriget.

